







1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11



1660.

1. Creusel, Nicolaus: De comprehensione
2. Eckholt, Amatus: De iuribus filii familias.
3. Eckholt, Amatus: De antinomias
4. Philippi, Johannes: Conclusiones ex materia ex-
hactenus desumptae
5. Romanus, Franciscus: De iuribus virorum singu-
laribus.
6. Romanus, Franciscus: De potestate maritali.
7. Schacherus, Aurivius: De iudiciis.
8. Schacherus, Aurivius: De conceptione actionum
propter res.
9. Schreindorfferus, Barth. Leonhardus: Theses iuridicae
10. Schreindorfferus, Bartholomaeus Leonhardus: De ingra-
titudine.
11. Schreindorfferus, Georgius Tobias: De tutore

1660.

12 Thomaeus, Jacobus: De certamine praesentiae inter
regnum Electorum et successorem.

1664.

1. Cunradi, Johannes Gualterus: De feriis

2. Eckold, Amatus: Theses juris in materia actorum.

num.

3. Eckold, Amatus: De literarum obligatione

4. Hornigius, Paulus: De deposito.

5. Michaelis, Johannes: De philtis

6. Philippi, Johannes: De testamentis

7. Schenckellius, Johannes: De responsibus Illustrissimorum

8. Schenckendorfferus, Bartholomaeus Leimbach: De falso-

9. Schenckendorfferus, Bartholomaeus Leimbach: Prae-

sentationes ad IV libros Festinationum Imperatorum.

2

150

m

2



163
 1. Thomae, Tobias: De criminibus, praesertim in
 rebus publicis successibus

164
 1. Conradus, Johann, Gualther: De fidei
 2. Gualther, Johann: Theses juris circa materiam
 criminis

3. Gualther, Johann: De liberis non obligatis

4. Hornigius, Paulus: De deposito

5. Schuster, Johann: De philtro

6. Philippus, Johann: De homicidio

7. Johann Schuster, Johann: De responsione in iustitia

8. Johann Schuster, Johann: De falsis

9. Johann Schuster, Johann: De iuramento



7027.

Nebo, 5 / 863

257-
M

DISPUTATIO JURIDICA
DE
**JURIBUS VIRO-
RUM SINGULARIBUS,**

Quam
Annuente
DEO,
Consentiente

Nobilissimo in Almâ Lipsiensi

JCtorum Ordine,

Et
Præsidente
VIRO

*Admodum Reverendo, Nobilissimo, Amplissimo
& Consultissimo*

Dn. FRANCISCO ROMANO,

Jcto, Cod. P. P. Canon. Martisb. supremæ Curia^æ Provin-
cialis & Facultatis Juridicæ Assessore, Academia^æq; hujus
Syndico gravissimo,

*Patrono ac Præceptore suo colendo
publicè disputando defendet*

Johann Georg Gastell Franckenbergâ Misn.
Autor.

ad diem 25 Octob. H. Lq. Consv.

LIPSIÆ,

Literis JOHAN-ERICI HAHNII,
Anno clō 1760 LX.

7 1/2

26.



VIRIS

*ILLUSTRIBUS, GENEROSIS, MAGNIFICO
AC CONSULTISSIMO*

Dn. WOLFF SIGFRIEDT à LÜTTICHAU in Zchora &
Beschlitz. S. Rom. Imperii Ærario Præfecto,

Dn. WOLFF à WERDERN Dynastæ in Beichlingen, Neu-
heilingen, Pulsnitz & Guthmanshausen, S. Cæs. Maje-
statis Cubiculario Janitori hæreditario,

Dn. JOHANNI FRIDERICO à BURCKERSRODA' in Pau-
scha, Marck & Rölitz,

Dn. HERMANNO à WOLFFRAMSDORF in Kösteritz &
Porschendorf,

Dn. PETRO WERDERMAN in Gröbern & Niederfehre,

*POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ respectivè intime ad-
missionis Consiliario, Cancellario, Camera Directori ejusdemq̃
ut & rerum metallicarum Consiliariis, Comitibus, Consi-
liario, & reddituum ac rationum provincialium
Præfecto, Gravissimis.*

Dominis, Meccenatibus ac Patronis suis
omni post DEum & Principem
animi submissione colendis

futura promotionis ergò

VIRORUM HÆCCE JURA SINGULARIA

D. & O.

Respondens.



PROLOQVIUM.



Dures & solidioris quidem, ut
 videri volunt, Jurisprudentiæ cultores
 res reperiri, L. B. qui maximæ iniqui-
 tatis & liberalitatis, ut ita dicam, in-
 largiendis fœminis privilegiis Impe-
 ratorem nostrum gloriosissimum ac-
 cusare solent, tantum abest ut negari
 possit, quantum quotidiana & vulga-
 ris illud testatur querimonia. Verùm
 enimverò quantâ laude & constantiâ Illum propter tantam
 γυναικονεταρμενία ex hoc capite reprehendere possint facile
 videbimus, si virilia cum muliebribus, inter quæ præ cæteris
 fermè dicam unicum pollet Vellejanum, compensabimus
 beneficia: Quid enim aliud in fine sese obferet, quàm quod
 scientiam, si quandam in jure habent, dissimulare magis
 quàm præsentem simulare videantur ejusmodi Procopii &
 Obtrectatores? Agedum itaque, L. B. considera mecum
 per transennam saltim virorum privilegia, quorum penitio-
 rem aspectum & materiæ ubertas & ratio instituti invidet.
 Proponam tibi certè & ostendam infallibile illud l. 9. ff. stat.
 hom. In multis juris nostri articulis meliorem esse conditio-
 nem masculorum quam fœminarum.

I. N. D.

SECT. I.

Thef. I.



Ractaturis de juribus & privilegiis, quibus singulari quodam juris beneficio & dispositione viri excluso sexu foemineo gaudere solent, tota materia commodè in jura seu privilegia quæ vel ad dignitatem vel utilitatem virorum spectant, & ita in duo membra dispesci videtur: Quorum illa uti omnium uno voto primas tenere debent, ita & primo statim loco considerari veniunt. In ipso autem statim limine pulchra sese offert quæstio. Utrum sc. Vir tantum non verò etiam Mulier seu foemina ad regimen alicujus provinciae admitti debeat? Et dicimus si secundum jus Civile nostrum res decidenda veniret, statim & absque omni dubio negativa sese ostenderet responsio per universalitatem *l. 2. ff. d. R. 7.* Verum, cum quæstio hæc multa in recessu habeat magisque fit juris publici quam privati, ideò illam statutis & ordinationibus cujusque Politiae decidendam relinquimus. Veluti videmus Regna quaedam deficiente sexu masculino ad foeminas transitoria reperiri, teste *Besold. lib. 1. dissert. nomicopolit. 11. n. 11. & Bodin. de Republ. lib. 6. cap. 5.* Nos in præsentia tantum sumus solliciti quid jure nostro privato hoc casu ut plurimum considerandum extat. Maximè verò officii publici dignitate viri præ foeminis gloriari possunt *per d. l. 2. ff. d. R. 7.* In quibus primà statim fronte ut dignius quoddam sese offert potestas judicandi, quæ viri uti soli absque controversiâ gaudere possunt *per l. cit. et l. cum Prator. §. 2. ff. d. judic.* ita ulteriori deductione opus esse haud arbitramur nil remorantes 1. Quod interdum ex peculiari Principis benevolentia aut aliam ob causam alicui foeminae potestas judicandi ad certum locum & tempus, id quod hodie in dotalitiis Principum sæpè accidit, concedi soleat. 2. Quod foemina

foemina feudum habens, & de Jurisdictione in feudata partes
judicis ibi sustineat. Respondetur enim ad 1. primò Foemi-
nam non proprio sed Principis nomine Jurisdictionē exerce-
re, secundò distingvimus inter ordinarium casum seu juris, &
extraordinarium seu facti. Ad 2. verò respondetur 1. Esse
casum specialem ex jure & consuetudinibus feudalibus. 2. Non
tam mulierem quàm ejus Actuarium juratum vel Notarium,
quem adhibere tenetur *Ord. Camer. part. 1. tit. 59. Ord. Pro-
cess. judic. Elect. Sax. tit. 2.* nomine mulieris Jurisdictionem
exercere.

Thes. II.

Hanc verò nostram de potestate judicandi assertionem
etiam ad arbitros extendimus, negamusq; firmiter in mulie-
rem compromitti posse, ita ut licet factum sit & sententia jam
lata, ex earum tamen electione nulla pœna, nulla pacti exce-
ptio adversus justos earum contemptores habeatur. *per l. f. C.
d. recept. Arbitr. Dn. Struvius in Syntagmate Jurisprud. Exerc.
8. §. 99.* Sed Objicis 1. Quod in *d. l.* dicatur adversus justos ea-
rum contemptores, ex quibus à contrario sensu sequi videtur,
quod si sententia justa fuerit, contemptor sit injustus, & per
consequens pœnâ ex compromisso teneatur. 2. Quod sibi im-
putare debeant, qui in ejusmodi subjectum inhabile compro-
miserunt *l. diem proferre 27. §. 2. ff. d. recept. Arbitr.* 3. Quod qui-
libet juri pro se introducto renunciare possit. *l. pen. C. d. pact.*
Respond. ad 1. Verbum JUSTOS hoc loco non retrahi debe-
re ad æqvritatem & iniquitatem sententiæ, sed contemptores
hoc casu dicuntur justi respectu foeminarum virilibus officiis
se se immiscentium, quod & indicat verbum *earum*, utpote,
quod ad sententiam trahi minimè potest, sive ut paucis decla-
remus, distingvimus inter contemptorem justum sententiæ à
foemina hoc casu latæ respectu æqvritatis & iniquitatis, & res-
pectu inhabilitatis, de posteriori casu lex loquitur, quod indicant

verba in principio legis posita, non verò de priori. Manebit igitur sive æqua sive iniqua fuerit ejusmodi sententia illam, nullam vim habere, quemadmodum huic à viro latae utroque casu non attentâ æquitate & iniquitate autoritate compromissi standum esse certum est *l. 27. §. 2. ff. d. recept. arbitr.* Ad 2. Legem loqui de sententia quatenus lata est vel æqua vel iniqua à personâ tamen habili, non quatenus lata est à personâ, quæ prorsus non potuit ferre sententiam, uti hoc loco mulier. Ad 3. Esse specialitatem casus in hâc lege: Eo ipso enim statim partes juri suo renunciâsse videntur dum compromiserunt in arbitrium fœminæ, & tamē lex cit. expressè dicit pœnâ nullam aut pacti exceptionē locum habere. Licet 1. si acquiescere velint in eâ sententiâ, atq; neuter eorum utatur beneficio *d. l. f.* sed potius post latam sententiam in illam consentiant, illud fieri posse non quidem vi compromissi, sed ex superveniente novo consensu non negemus, Neq; 2. inficiemur standum esse sententiæ si juratò compromiserint partes in fœminam, non quidem vi pacti, sententiæ aut compromissi, sed vi juramenti.

Thef. III.

Progredimur ulterius & pervenimus ad aliud virorum jus, quod scil. in postulando consistit, ubi viris specialiter indultum est pro aliis postulare, hoc est Patroni seu Advocati munere fungi excluso ab hoc sexu fœmineo *l. 1. §. 5. ff. d. postul. l. 2. ff. d. R. 7.* virile enim munus est alium defendere. *l. 18. C. d. procur.* quæquam improbitatem & inverecundiam mulieris, Calphurniæ, huic edicto causam dedisse videatur. *d. l. 1. §. 5. inf.* Non tamen hâc ratione onnem postulandi potestatem mulieribus jure Civili denegatam volumus: Pro se enim in judicio fœminâ postulare & in propriâ personâ desiderium suum implere posse cõstat. *arg. l. cit. §. 5. l. 9. via absente 4. C. d. procurat.* Dictum autem est supra Jure Civili fœminas pro se in
judicio

iudicio postulare posse ad differentiam juris Saxon. de quo
 foeminae etiam in propriis causis absq; curatore experiri non
 possunt. *Spec. Sax. lib. 1. Art. 46. lib. 2. Art. 63.* Unde, si talem
 non habeant ex officio illis dari debet curator in litem. *lib. 1.*
Art. 43. 44. Proc. Jud. Elect. Sax. tit. 8. Ideoq; illud jus ex-
 periendi scil. in iudicio absq; curatore de jure Saxon. viri sibi
 solis vindicare possunt licet non jure Civili. An verò dispo-
 sitio illa juris Sax. ad reum conventum extendenda, ita ut
 etiam soli viri rei partes in iudicio absqve curatore sustinere
 possint exclusis foeminis, affirmare dubitamus: Omnes enim
 isti textus juris Sax. loquuntur de curatore necessario mulieri
 qvatenus sustinet partes actricis non verò reæ, & per conse-
 quens hoc passu dispositioni juris Civilis standum esse videtur
per vulg Quod non mutatur qvare stare prohibeatur? Imò in
 hanc sententiam inclinare videtur *Rotscbitz proc. jur. part. 1.*
art. 4. sect. 1. Coler. part. 1. decis. 76. n. 29. Nisi forsitan usu &
 praxi forensi edocti etiam viris solis potestatem sese defen-
 dendi, hoc est absqve curatore rei partes in iudicio sustinendi,
 tribuere velimus, qvodqve minus dubii habet in *Elect. nostro*
Sax. per Const. 15 part. 2. Ubi. **Das hinführo Witben und**
Jungfrauen ohne Unterscheid des Alters in allen Recht-
lichen Processen sie halten gleich Klägerin oder Beflagter
stat ohne Vormunden nichts beständiges handeln mögen/
 cui accedit *Tit. 8. Proc. jud. El. Sax. in pr.* Qvam tamen no-
 stram assertionem, qvod sc. de jure & consvetudine Sax. soli
 viri tam ex parte rei qvam actoris absqve curatore in iudicio
 postulare possint, limitandam dicimus 1. in causa matrimo-
 niali, ubi mulieres & virgines sine curatore in iudicio ecclesia-
 stico stare ac in causis propriis postulare possunt testante *Beu-*
stio in tract. de Connub. part. 1. quest. 22. Carpz. in Consistor. Lib.
3. def. 31, qvifingulari observantiâ hoc in Consistoriis introdu-
 ctum dicit in *Proc. jud. tit. 1. A. 3. n. 39. 40. 41.* 2. in foemina
 Illu-

Illustri, uti sic particari edocemur *ab eodem Carpz loc. cit. tit. 5. A. 3. n. 61.* 3. In causa criminali ubi foemina quatenus sustinet partes personae accusatae vel inquisitae aequè ac vir absque curatore in propria personâ coram iudice sese sistere potest ac debet, *per general. text. in l. pen. §. ad crimen. ff. d. publ. jud.* Qui textus etiam in iure nostro Sax. nullibi correcto reperitur, ergo etiam dispositioni iur. Civ. adhuc standum erit in foro nostro Saxon. praesertim dum ratio istius legis, quæ & ut iudex eò melius ex gestibus & vultu delinquentium presumere possit, etiam usitata in foro nostro practicae applicari potest. Quatenus verò sustinet partes accusatricis (quas quando sustinere possit vel non ex thesi sequenti patefcet) de iure Civili quidem aequè ac vir absque curatore intervenit liti, de iure Sax. verò aequè ac in civilibus actionibus curatorem habere tenetur. *per text. in Landrecht: lib. 1. art. 43.*

Thef. IV.

Explicatis quando & in quibus casibus vir per se standi & postulandi in iudicio exclusis foeminis potestatem habeat, videbimus etiam, quia praecedenti thesi mentionem causarum criminalium fecimus, quando vir jus accusandi sive criminaliter agendi contra delinquentem non verò foemina habeat, & dicimus quod viro tantum competat jus accusandi tam de crimine publico *l. 1. §. l. 8. ff. d. Accus. l. de crimine 12. C. d. his qui accus. non poss:* quam privato, Exceptis tamen quibusdam casibus, in quibus sc. foeminae ad accusandum admittuntur, & hinc inde recensentur à Dd. praesertim *Prosper. Farin. pr. Cr. lib. 1. tit. 2. quest. 12. Petr. Theod. in Colleg. Cr. disp. 4. tb. 6.* Sunt verò imprimis sequentes I. Quando suorum, puta Parentum, Liberorum, Nepotum, item: Patroni, Patronae, eorum liberorum, illorumque contra quos ex Lege, testimonium in vita non dicit, mortem ulciscitur. *l. cit. 1. l. 2. ff. d. accus. 2.* Si suam & suorum injurias vindicat & exequitur *l. 11. tit. cit. l.*

*eis. l. de crimine 12. C. de his accus. non poss. 3. In puncto Crimi-
nis læsæ Majestatis l. 8. ff. ad L. Jul. Maj. 4. In crimine an-
nonæ l. 13. ff. d. accusat. & quæ sunt similia, quæ quidem We-
semb. ad ff. d. Accus. n. 9. in pr. uno titulo comprehendere stu-
det dicens, quod, quotiescunq; quæstio sit de atrocissimo cri-
mine & Reipubl. intersit ut quàm ocysimè vindicetur, admit-
tenda sit mulier, sed an hæc ita sese habeant per textus ab eo
citatos dubitamus meritò, cùm quilibet eorum in terminis
specialitatis permanens textibus generalioribus supra citatis
tantum non præjudicabit ut talis tam generalis exceptio con-
tra illos admittatur. Quæ verò supra de privatis delictis dicta
sunt locum habere volumus in actionibus iis quæ tendunt ad
vindictam publicam, cùm hæc ratione ejusmodi judicia ubi
ventilantur tales actiones hodie ex omnibus æquiparentur
publicis judiciis teste *Carpzov. in Pr. Cr. part. 3. quæst. 104. n.
42. Schneidew. ad J. d. Oblig. quæ ex del. nasc. §. 1. n. 6.* Non
verò quatenus tendunt ad damnum resarciendum seu inter-
esse privatum, eâ siquidem ratione magis induunt naturam
civilium actionum quam criminalium §. *in summa 10. J. d. injur.*
& per consequens foeminae æquè permittum erit atq; viro illas
intentare. Quæ omnia, dum nullibi correctæ reperiuntur,
etiam in foro nostro Sax. ita procedere testatur *Dn. Carpz.
in Pr. Cr. part. 3. quæst. 104. n. 23. 24.* Licet enim ex text. *Jur.
Sax. l. 1. art. 43.* ejusq; summaris colligi posse videatur, muli-
eres simpliciter ad accusandum esse admittendas, correcti-
onem tamen juris communis, quoad fieri potest, fugientes
illud ad casus in jure civili, in quibus foeminae accusare pos-
sunt, expressos restrictum volumus.*

Thes. V.

Absoluto virorum quod in postulando cùm pro se, tum
pro aliis consistit jure, progredimur etiam ad illud quod in-
procurando consistit & dicimus viro tantum competere mu-

B

nus

nus & officium procurandi *l. 2. ff. d. R. 7. l. 18. C. d. procura-*
tor: & hoc tam de jure Sax. quam civili, cum enim eo jure
foeminae etiam in propriis causis absq; curatore potestatem in
judicio standi non habeant uti supra dictum, tantum abest ut
pro aliis judicio intervenire atq; eorum partes agere possint.
Spec. Sax. Lib. 2. Art. 63. Non quidem desunt qui affirmant
dari quosdam casus in jure exceptos, quos inter alios refert
Rotscbitz in proc. part. 1. art. 5. sect. 3. & gl. in Spec. Sax. lib.
2. art. 63. in verb. Es mag. in quibus mulier Procuratricis of-
ficio fungi potest. Praesertim 1. in casu *l. 41. ff. d. Procurat.*
Ubi dicitur quod foeminae interdum causam cognitam pro paren-
tibus agere possint. 2. in casu *l. 3. ff. d. liber. caus.* dicentis. Quod
si nemo sit qui pro necessariis foeminae personis libertatem
vindicare velit foemina admittenda sit. 3. Si ut tutrix libero-
rum suorum agat. 4. Si Abbatissa ratione officii sui agat. 5. In
casu *l. 4. C. d. procur.* cujus vigore per mulieres aliena nego-
tia aliter agi non possunt nisi in rem suam vel proprium com-
modum mandatae sint eis actiones. Verum cum saltem in
primo casu exceptio quaedam esse videatur, dum in casu 2. mu-
lier non intervenit ut Procuratrix, quod esset contra *l. 33. in*
pr. ff. d. procur. Ubi servus procuratorem habere non potest,
sed magis negotiorum gestionis nomine id fieri apparet. Id
quod etiam in reliquis posterioribus tribus casibus, ubi nun-
quam ut procuratrix liti intervenit dicendum erit. Ideo hos
4. posteriores casus tanquam a communi regulam exceptiones
non agnoscimus.

Thef. VI.

Et haec dicta sunt de Procuratore quatenus constitui
potest passivè, restat ut etiam dicamus de Procuratore quate-
nus constitui potest activè, hoc est, quisnam constituere possit
Procuratorem: Et dicimus quod moribus nostris Saxonis
vir tantum propriam auctoritate possit constituere Procurato-
rem

rem, mulier non nisi interveniente curatore, testate *Dn. Carpz. d. jur. fœm. decad. 3. possit. 1. n. 11. 12.* quodque minus dubii habet in Elect. Sax. vigore *Const. 15. part. 2. §. Gleicher Gestalt.* Licet Jure Civili id fieri posse non negemus, cum nullibi prohibitum inveniatur. Antequam verò ulterius provehamur quærere hic lubet; An etiam mulier ad negotia extra judicium tractanda Procuratrix constitui possit? Resp. Affirmat illud quidem *Berlich. part. 2. Concl. 17. n. 57.* dicens, quod sibi Dominus imputare debeat, quod mulieri suas causas & negotia commiserit. Verùm si paulò penitius in *d. l. 2. ff. d. R. J.* inquiramus, statim generalitate textus convincemur, ita ut contra illam nullam exceptionem specialem absq; legis auctoritate admittamus: absq; lege enim loqui erubescimus, & ubi lex non distingvit neq; nos distingvere debemus. Id quod etiam jure nostro Sax. planè inconveniens videbitur, dum persona quæ in propriis causis perse non semper firmiter ex contractu obligatur, *Const. d. part. 2. Const. 15. §. Gleicher Gestalt*/alterius nomine contrahere, & etiam in casum, si forsitan negligens fuerit in suo officio, ex contractu, *contra dict. Const. loc. cit.* mandati scil. actione conveniri possit, id quod certum contractus procuratorii requisitum esse perhibetur. *l. per procuratorem 8. C. mandati vel contra.*

Thes. VII.

Hiscæ sic consideratis aggrediemur etiam jura tutelarum & videbimus, quando & in quibus casibus viri soli jure tuendi & curandi gaudeant, & hoc tam de jure Saxonico, quàm Civili respectu bonorum tam feudalium quàm allodialium. Ut verò eò facilius progrediamur principio statim distingvimus inter tutelam & curatelam extraneorum impuberum seu minorum & priorum liberorum. Primum quod concernit dicimus quod tam de jure civili viro tantùm competat tutelæ & curatelæ administratio *l. alienam 18. C. d. procur. l. 1.*

B 2

C. quan-

C. quando mul. tut. off. Nov. 118. cap. 5. quàm de jure Sax. cum nullibi mutatum inveniatur. Secundum verò quod attinet, Pater quidem eo in casu ubi mater adhuc vivit præfertur illi in administratione bonorum liberorum *arg. l. f. in pr. C. d. curat. fur. vel prod.* E. g. Si forsitan liberi ab extraneo quodam hæredes instituti fuerint, vel alio quodam puta legati vel donationis titulo aliquid acquisiverint: At alterutro Parentum mortuo quid obtineat, meretur ut paululùm accuratius consideretur, quod ut fiat prius, quid jure Civili deinde quid jure nostro provinciali considerandum veniat, dicendum erit.

Thef. VIII.

Jure Civili quidem Pater absolutè bona liberorum impuberum ad instar tutoris administrat. *Arg. l. f. in pr. C. d. curat. fur. vel prod.* Inq; ista administratione aliis adhuc gaudet privilegiis. 1. quidem, secundis nuptiis renunciare non tenetur, nullibi enim cautum in jure nostro reperitur. 2. Licet ad secunda vota transierit nihilominus tamen administrat bona liberorum, & educat illos, dum nullibi illud patri denegatur, ergo permissum intelligitur. *l. 7. C. d. relig. & sumpt. fun.* Nisi forsitan suspicionis alicujus sinistrae accusari possit *l. 1. §. 1. ff. ubi pup. educ. vel morar. deb.* 3. Finità administratione ultra inventarium ad nullam rationum redditionem de usuris & fructibus tenetur, quia 4. Ipse illos ipsos lucratur, quæ tamen posteriora duo privilegia, cum magis utilitatem sapiant quàm ad dignitatem virilem spectent *infra sect. 2.* considerata venient. Et hæc quæ jam dicta sunt de tali bonorum administratione, cum nullibi correctæ in jure nostro Sax. imò potius in *Spec. Sax. lib. 1. Art. 11.* confirmata inveniuntur, dum Patrẽ non tantùm administrare bona, sed etiam tutelam liberorum renuente *jure Civ. l. f. in pr. C. d. curat. fur. vel prod.* suscipere posse indifferenter affirmat, *in verb. Hält ein Vater seine Kinder in Vormundschaft nach ihrer Mutter-Tode/ utiq;*
adhuc

adhuc obtinere dicimus, quam tamen administrationem, quam jus Sax. loc. cit. ad tutelam extendit, testamento matris vel etiam extranei testatoris Patri auferri posse non negamus per *Nov. 117. cap. 1.* Ultra tamen vires hæreditatis ejusmodi testatrix vel testatoris illam ablationem extendere nolumus.

Thef. IX.

Et hæc quæ de Patre dicta sunt multò aliter sese habent cum Matre: Illa siquidem, licet modo irregulari, singulari favore & ex intuitu pietatis, uti loquitur *Anton. Faber in Cod. lib. 5. tit. 21. def. 1. n. 7.* mortuo patre tutrix liberorum esse possit *l. 2. C. quand. mul. tut. off. Spec. Saxon. lib. 1. art. 11.* reliquisq; præferatur agnatis *autb. Matri & Avia C. eod.* quod observantiâ fori receptum testatur *Dn. Carpzov. ad Const. E. 11. part. 2. def. 11. n. 7. 8.* Ad secundas tamen nuptias transiens 1. non potest esse ulterius tutrix liberorum *autb. sacramentum C. quand. mul. tut. off. Dn. Burchard. Berlich. d. jur. Noverc. part. 2. art. 3 sect. 10. n. 1009.* Neq; 2. Habet facultatem educandi liberos *l. 1. in pr. C. ubi pup. educ. deb. Nov. 22. cap. 39.* (quod non tam odio secundarum nuptiarum quam propter malam de mulieribus præsumptionem fieri non absq; levitatis accusatione & illarum æstimationis præjudicio affirmat magni nominis Jctus) Imò tenebatur 3. olim juramento renunciare cum secundis nuptiis tum etiam Scto Vellejano. *Nov. 94. cap. 2. l. 2. C. quand. mul. tut. off.* Quod tamen per *autb. sacramentum C. eod.* mutatum est, ita ut nullum jus jurandum amplius exigatur, sed, si modo tutelam suscipere voluerit, fuit enim olim quemadmodum & adhuc hodie lex non necessitatis sed permissionis, nudâ factâ nuptiarum secundarum & Scti Vellej. renunciatione admittatur, atq; non obstante renunciatione ad secunda vota transire possit *d. Nov. 94. cap. 2.* Hæc tamen adhibitâ cautelâ, ut, quemadmodum si prorsus noluerit tutelam suscipere liberis tutores, ita & hoc casu

B 3

pro-

propter expirationem tutelæ illos ipsos petere necesse habeat
per text. in l. siue ingenua 2. §. si mater 23. ff. ad SCtum Tertull.
l. omnem 6. C. eod. nisi se ipsam hæreditate liberorum indignam
reddere velit per ll. cit. quod quando procedat sequentia ob-
servanda sunt requisita. 1. Ut liberi in ætate pupillari decedant
l. matres 3. C. ad SCtum Tertull. 2. Ut mater sit majorennis l. 2.
C. si advers. delict. Hoc est jure civili annum 25. pr. J. d. curat.
jure verò Sax. 21. impleverit per gl. wo die Söhne binnen ih-
ren Jahren / in f. spec. Sax. lib. 1. Art. 23. 3. Ut intra annum
non petat l. sciant. 20. C. d. legit. hered § 6. J. ad SCtum Tertull.
qui annus procul dubio incipit currere à die consummati ma-
trimonii, non inchoati seu sponsaliorum, cum 1. in dubiis be-
nigniora præferenda sint l. 56. ff. d. R. J. ut voluntas legum eò
melius conservetur l. 18. ff. d. LL. 2. leges supra citatæ, quæ de
nuptiis loquuntur, omninò de matrimonio consummato in-
telligi debeant per pr. J. d. nupt. Id quod Jure Saxon. minus
dubium habet lib. 3. Art. 45. in m. spec. Sax. Cui assentit Const.
El. Sax. 10. part. 3. Ubi in Rubricâ dicitur Matrimonium per
consensionem thalami consummari. Jure verò Canon. re-
*quiritur benedictio sacerdotalis seu *ιστολογία* caus. 30. quest. 5.*
can. 1. Annus verò iste in foro nostro an sit civilis an Saxonicus
hoc est 1. Jahr 6. Wochen 3. Tage dubitari meritò potest.
Nos dicimus anno civili id fieri debere, quia jus Saxon. de hoc
anno nihil disponit, ergò standum erit dispositioni juris com-
munis, & licet jus Sax. in præscript. rerum mobilium loquatur
de anno Saxonico, inest tamen specialitas casuum, quæ ad cor-
rectionem juris communis hoc passu extendi non debet, imò
Christ. Zobel in addit ad gl. 4. art. 11. lib. 1. Spec. Sax. in f. huic
nostro adserto adherere videtur, dum ad jus civile quasi pro-
vocans dicit: Quando mulier non vult esse tutrix liberorum
suorum, tunc tenetur illis tutorem petere, aliàs incidit in pœ-
nam, quæ matribus liberis suis tutorem non petentibus, cum
hoc

hoc facere teneantur, de jure indicta est. 4. Requiritur etiam, ut liberi nullum exinde sentiant commodum, si enim liberis conducibilius fuerit nullum habere tutorem, eximitur ab istâ poenâ mater, cum iniquum esset aliquem propter beneficium alicui factum damnum sentire, per rationem *l. 49. inf. ff. d. re jud.* Thef. X.

Huic, quod in petitione tutoris consistit, oneri, à quo tamē Pater ad secunda vota transiens liber est, apponendū quoque esset quod mater non lucretur usumfructū ex bonis liberorū, quod finitâ tutelâ non minus ad rationum redditionem de fructibus & usuris quàm inventarii ipsius confectionem teneatur. Verum quia, uti jam dictum, de hisce in sect. 2. dicitur, subsistimus illud adhuc moventes, quod quemadmodum Patri administratio bonorum, hâc ratione etiam ac modo matri administratio, respectu sc. bonorum testatoris saltim, uti etiam supra de Patre dictum est, testamento auferri possit per generalitatem *cit. Nov. 117. cap. 1.* Cuius Sax. etiam nullibi contradicit. Dixi autem 1. Administratio, ad differentiam sc. tutelæ, ut pote quæ certarum rerum testamento dari non potest *l. 12. ff. d. Tutel.* ita etiam è contrario certis in rebus auferri nequit. 2. Testatoris, per quem tamen hoc loco non intelligopatrem testatorem, qui non saltim administrationem bonorum in testamento relictorum, sed etiam totum jus tutelæ, quod in gubernatione personæ consistit *l. 14. ff. d. Tutel.* matri in testamento auferre potest *per Auth. Matri & Avie C. quand. mul. tut. off.* Sed loquor de testatore extraneo, qui ultra administrationem bonorum, in quibus ipsi succedunt impuberes, totum jus tutelæ matri auferre non potest. Loquitur enim *d. Nov. 117. loc. cit.* non de tutelâ sed de administratione bonorum, quod indigitant verba in medio posita, dum nō dicitur HÆ gubernentur id est personæ pupillorum, sed HÆC gubernentur, id est, bona in testamento relicta, & per consequens

quens ad tutelam, quæ in gubernatione personæ propriè consistit, extendi non potest. Neq; huic nostro asserto obstat. Quod etiam extraneus tutorem dare possit *l. si patronus 4. ff. d. confirm. tut.* Authentica verò citata indifferenter loquatur de tutore testamentario matri præferendo, & per consequens talis tutor ab extraneo datus non tantùm quoad administrationem illorum bonorum sed etiam quoad totam tutelam matri præferendus sit: Respondetur enim dictam Auth. non loqui de tutore ab extraneo dato, qui saltim extraordinariè & modo à communi regulâ exceptivo, si scil. pupillus extra illa bona in quibus testatori succedit nihil in bonis habeat *d. l. 4. ff. d. confirm. tut.* ab extraneo testatore dari potest, sed loqui de tutore testamentario à Patre dato, qui propriè testamentarij tutoris nomine venit, & ordinariè propter jura Patriæ potestatis pupillo dari potest. *l. 1. ff. d. testament. tut.* Leges enim in dubio magis de casu ordinario quàm de extraordinario & à communi regulâ excepto loqui quis dubitat?

Thef. XI.

Restat tandem etiam aliquid dicendum quemadmodum & à quonam tutore bona feudalia administrari possint vivente scil. adhuc vasalli matre. Jure quidem communi sciendum matrem respectu feudalium tutelam administrare non posse. Neq; obstat quod *Nov. 118 cap. 5.* matri indifferenter tutelam liberorum concedat, unde propter defectum juris feudalis hoc passu stādum sit decisioni juris civilis secundum *FF comm. Zobel Exerc. feudal. 1. tb. 6. Molin. ad Consuet. Paris. tit. 1. gl. 5. n. 72.* Respondetur enim aliam subesse rationem negationis, præsertim si in rationem *dict. Nov. loc. cit.* accuratius inquirimus, tunc videbimus quod matri propter solam spem successionis, quemadmodum olim agnatis præ cognatis hodiè verò propter sublatam differentiam successionis indifferenter, jura tutelarum deferantur: Jam verò illa in feudalibus evanescit

per

per text. expr. F. 2. tit. 50. Ergo cessante legis ratione ipsa lex cessabit, & per consequens illa bona administrare non poterit. Id quod etiam jure Sax. matri denegatur, dum nullâ matris mentione factâ ibi dicitur, **Der Herr soll auch stets des Kindes Vormünde seyn/ie. Lehnr. cap. 26.** Non tamen negamus quod mater peculiari Principis concessione proximioribus agnatis, utpote qui hodie non observatâ juris feud. Sax. dispositione ad tutelam admittuntur, adjungi possit, uti illud magis observantiâ quàm juris ratione introductum esse docet *Dn. Carpz. de Jur. fœm. decad. 2. pos. 2. n. 6. 7 per eos* quos ibi allegat. Subsistimus interea hîc & pergimus ad jura matrimonii, quibus etiam sexus virilis dignitatē aliquam capeffere videtur.

Thes. XII.

Virum nobilitate & dignitate uxorem secum trahere uti corpus umbram, hancq; radiis viri coruscare quemadmodum jure civili indubitatum invenitur *per l. mulieres C. d. dignit. l. 10. C. d. nupt.* Ita jure Sax. hoc etiam procedere clarè dispalescit in *Landr. lib. 3. art. 45.* ubi. **Das Weib ist auch ihres Mannes Gendßinn/aller der Ehren und Würdigkeit/ die der Mann hat.** Imò hanc nobilitandi uxorem potestatem etiam post mortem suam retinet maritus, si sc. vidua in viduitate permanferit *l. filii 22. §. vidua ff. ad municip. l. cuncte. 10. C. d. nupt.* Quam tamen jus Sax. invidens hoc casu fœminis ademit viris, atq; misellas viduas pristino & innato post mortem maritorum reddidit statui *per text. Spec. Sax. loc. cit. it. lib. 1. art. 45.* Nisi forsitan hosce textus infra terminos quidem intentionis in favorem mulierum ad solam reverentiam marito debitam, tutelam & reliqua onera matrimonialia restringere velimus. Sed quicquid sit; uti formidabilis & duranimis fœminis videtur hæc constitutio Saxonica, ita parum autoritatis obtinet in foro nostro, observantiâ siquidem quotidianâ edocti deprehendimus viduas anteqvam ad secunda

C

vota

vota transeant, æquali dignitate tam post quam ante mortem
mariti affici, jusq; civile hoc passu magis observari *dn. Carpz.*
d. jur. fœm. decad. 1. pos. 5. Quibus tamen ita præmissis hæc non
ita intelligi volumus ac si mulier prorsus in potestate mariti
sive jure Civili sive etiam Saxonico constituta sit: Sicuti enim
illo jure constat filiam fam. nuptam non transire in potesta-
tem mariti sed potius in potestate patris sui remanere
lib. 14 §. 2. ff. ad L. Jul. d. Adult. l. 1. §. 1. ff. d. agnosc. & al.
l. non obstante l. 4. ff. d. bis qui sui vel al. jur. ita & hoc jure
Saxon. fcil. fœminam contra jus commune in potestatem
mariti transire textus expressi nullibi extabunt, loqvun-
tur enim omnes quos à parte affirmantium citare solent de
curatelâ quæ viro competit in uxorem, neq; aliquid facit tex-
tus in *Spec. Sax. lib. 1. art. 31.* Wenn ein Mann ein Weib
nimbt / so nimbt er sie in sein Gewehr / quia hic non loquitur
de potestate mariti, neq; genuina significatio vocabuli *Ges-
wehr* / utpote quod magis defensionis nomine venit E. g.
Einem die Gewehr leisten / etwas gewehren / in verbo po-
testatis consistit. Quid igitur enim opus est tam obscurum Ju-
ris Sax. textum ad correctionem juris communis aliàs sedulô
vitandam citare & ita explicare? quomodo 2. hæc inter se
convenient & quanam conditione uxorem in potestate habe-
re poterit? Si forsitan filiusfam. ducat uxorem, dum ipse ad-
huc sub potestate est, & propterea liberos ex isto matrimonio
procreatos in suâ potestate non habet sed liberorum avus pa-
ternus. Non quidem negamus jure Sax. filiamfam. à patriâ
potestate matrimonio interveniente liberari, per consequen-
tiam sc. ex *Land R. lib. 1. art. 45.* Ubi dicitur *der Mann ist seis-
nes Weibes Vormünde* / (de quibus plura in seqv. thesi) Jam
verò si uxor sub curâ mariti est non amplius potest esse in pa-
triâ potestate, cum ambo simul existere non possint *§. 7. J. de
Tutel.* Interim tamen non sequitur: Fœmina contractis nuptiis
tran-

transit in mariti curatelam & defensionem in die Gewehr eximiturq; patriâ potestate, Ergo statim transiet in potestatem mariti. Firmum igitur manebit quod mulier contractis nuptiis non transeat in potestatem mariti etiam jure Sax. Nisi quis forsitan tam magnorum juris Sax. interpretum auctoritati annexus illud affirmare velit, cui & debitæ observantiæ gratiâ subscribere & calculum meum addere non recuso.

Thes. XIII.

Supereft etiam aliquid dicendum de curatelâ mariti in uxore, quæ, cum singulari jure viris competat, atq; materia nimis fertilis sit in foro, ideò necesse erit ut breviter de illâ differamus. Jure Civili quidem incognita est hæc curatelæ species per pr. J. d. curator. (non obstante l. maritus C. d. procurat: quam allegat gl. in Land R. lib. 1. art. 45. lit. a.) quam jus Sax. post thori ingressionem marito confert maritalem curatelam. Spec. Sax. lib. 1. art. 45. art. 31. Weichb. art. 65. cui asseratit Nov. Const. El. part. 2. Const. 15. Ubi tamen sciendum quod maritus propterea non teneatur necessariò curam uxoris suscipere, sed pro lubitu illam potest repudiare, patiuntur siquidem hi textus omnes hanc limitationem, si sc. voluerit maritus, quod & ita in praxi observari quotidia testatur experientia. Suscipiens autem curam maritus eadem, non minori neq; majori gaudet autoritate quâ alius curator extraneus, possit quidem opponi 1. quod mulier absq; consensu mariti bona mobilia alienare non possit quod tamen absq; consensu curatorum fieri posse constat Ex Const. El. Sax. p. 2. in verb. **Wie denn auch Witben und Jungfrauen/ (ubi non apponitur Eheweiber) so unmündig (außgeschlossen die unbeweglichen Güter) mit ihrer fahrenden Haab zu thun/ dieselbe/ so weit die Rechte nachgelassen/ zu vergeben/ 2c. ohne Vormünden beständig und verbündlich zu schliessen und zu handeln/ hiermit unbenommen seyn soll.** 2. Possit opponi

C 2

quod

quod autoritate cit. Const. Uxor non solo interventu mariti sed etiam curatoris demum firmiter obligetur propter copulam ET ibi appositam, in verb. ohne Vorwissen und Autorität ihrer ehelichen UND anderer Vormünder. Ex quibus sic stantibus sequitur quod maritus partim, quoad primam objectionem, majori, partim verò minori, quoad alteram objectionem, polleat autoritate quam alius curator extraneus. Verum respondetur ad 1. quod alia subsit ratio quam curatela mariti, quæ foeminam maritatum absque mariti consensu bona mobilia distrahere prohibet, uti infra Sect. 2. thes. 17. pluribus dicitur. Ad 2. verò respondetur copulam ET hoc loco non conjungere vocabulum Ehlichen cum voce anderer / sed cum sequenti verbo Vormünder / unde videtur serenissimum constituentem in primo vocabulo de foeminis maritatis in secundo verò de iisdem solutis locutum fuisse. Effectus verò hujus curatellæ quod attinet, dum illi partim supra thes. 2. partim sequenti thesi colligi possunt, & cum effectibus curatellæ extraneæ planè incidunt, recensere superfedemus, sed hoc saltem admonendum statuimus, nos in præsentia loqui non de marito curatore confirmando sed de confirmato. Cum maritus curator nondum confirmatus seu confirmandus admittatur etiam in judicio cautione rati præstita, d. Const. El. loc. cit. in verb. Wie denn auch die Ehemänner / non verò extraneus qui nondum curator confirmatus est.

Thef. XIV.

Cum propter animi constantiam, atq; perfectum consilium in foro Saxonico vir non verò foemina absq; curatore de bonis immobilibus firmiter sese obligare possit operæ pretium erit paucula de illis ipsis differere. De jure Civili quidem aliter sese habet; foemina enim etiam in immobilibus æqvè ac mobilibus propria autoritate firmiter obligatur & tenetur servare contractum per generalitatem l. velles 6. C. d.

revo-

revocand. donat. l. si uxor 12. C. d. pignor. & hypoth. Cujus tamen
 contrarium observantiâ magis quàm expressâ constitutione
 juris Sax. in ditionibus nostris introductum videtur: Textus
 enim omnes, quos allegare solent ex *Spec. Sax. lib. 1. art. 44. 46.*
lib. 2. art. 63. loquuntur de curatore mulieri necessario quate-
 nus personam aëtricis in judicio sustinet. Unde malè illi ex
 hisce textibus ad curatorem mulieri in contractibus necessa-
 rium concludere videntur, à quâ opinione etiam non alienus
 est *Berl. Part. 2. Concl. 17. n. 3.* de contractibus mulierum dicens:
 Sed quoniam hi textus juris Saxon. in quibusdam tantum casi-
 bus (puta in iis quorum supra mentionem fecimus) loque-
 bantur, nec per illos mulierum imbecillitati plenè erat provi-
 sum &c. hæc ille. Imò potius juri communi hoc passu adsti-
 pulare videtur jus Sax. dum virginibus & mulieribus solutis
 bona sua absqve interventu curatoris alienare indifferenter
 concedit *lib. 1. art. 45. in f.* **Mägde aber oder unbemannte**
Weiber mögen wohl verkauffen ihr eigen (id est, immobi-
 lia *lib. 1. art. 31.*) **ohne ihres Vormündern Urlaub.** Nisi for-
 sitan, quod etiam non aliter fieri potest, verba hujus textus ad
 differentiam consensus maritalis, de quo in præcedentibus ar-
 ticulus cit. loquitur, apposita fuisse dicere velimus. Hoc est:
 In alienatione immobilium ex parte foeminae solutæ consen-
 sus seu venia (germ. **Urlaub** per text. supra cit.) curatoris non
 æqvè ac strictè requiritur ac ex parte foeminae maritatae con-
 sensus mariti, in cuius præjudicium propter lucrum ususfru-
 ctus, uti infr. sect. 2. pluribus dicitur, bona alienari non possunt.
 Vel si objectio hæc ex Ethicis elidenda veniret, statim inter
 voluntatem coactam & liberâ distingveremus dicentes: Tex-
 tum hunc juris Saxon. loqui de voluntate liberâ, quæ in cura-
 tore extraneo propter rationem supra positam non æqvè, ac
 in marito requiritur: Illum enim officio Judicis pro ratione
 circumstantiarum, E.g. si foemina majorennis firmiter insistat

isti alienationi, cogi posse ut auctoritatem suam interponat & ita coactè consentiat alienationi immobilium non dubitamus, quod tamen in marito locum non habebit. Verùm enimverò, quia quotidie & inveteratà consuetudine, quæ vim legis habet, in judiciis nostris de curatore mulieri in contractibus etiam necessariò sic practicatur, prolixiori modo illud deducere frustraneum erit, præsertim cum Illustriss. Saxon. Elect. ut optimus juris Saxon. interpret illud expressè sic constituerit *part. 2. Const. 15. §.* Gleicher gestalt soll auch den Weibspersonen dasjenige / was sie ohne Vorwissen und Auctorität ihrer Ehlichen und anderer verordenten Vormünder / in und ausserhalb Gerichts schliessen und handeln / damit sie sich gegen jemand verpflichten / unschädlich und unnachtheilig seyn / etc. Quomodo verò hoc de potestate viris tantum jure Sax. concessà firmiter sese obligandi problema ampliàtè & rursus limitatè procedat in sequentibus videbimus.

Thef. XV.

Ampliatum autem hæc nostra conclusio 1. Licet mulier judicialiter contrahat *per text. expr. in d. Const.* 2. Licet jam aliquid solutum vel datum sit à muliere hujus contractus nomine, illud enim repetere potest conditione indebiti. Sed opponis 1. Quod mulier hæc ratione naturaliter obligetur, jam verò debitum naturale solutum repeti non potest. *arg. l. naturaliter 13. ff. d. Condict. indeb.* 2. Quod solutum non attentà exceptione, quæ in odium ejus cui debetur introducta est, repeti non possit *l. 40. in pr. ff. eod.* Verùm resp. ad 1. Etsi mulier naturaliter obligatur ipso tradente *On. Carpz. de jur. fœm. dec. 2. pos. 3. in rubro & nigro.* Quia verò hoc loco est dispositio specialis dict. Const. Saxonica omni damno & præjudicio fœminas hæc ratione contrahentes eximentis, ideò huc applicari illud non potest. Ad 2. resp. Exceptio hæc de
non

non adhibito curatore non introducta est in odium ejus qui cum muliere contrahit, sed in favorem mulieris contrahentis, unde per illam ipsam legem ex verbis præcedentibus, quæ ita sonant. Nam si quidem ejus causâ exceptio datur cum quo agitur, solum repetere potest &c. corroborari magis quam invalidari poterit hæc nostra assertio, cui etiam assentit *Berl. Part. 2. Concl. 17. n. 114.* Ampliatur 3. Licet diuturnitas temporis accedat. Non enim firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit. *c. non firmatur 19. d. Reg. jur. in 60.* Cui non obstat quod in contrarium affert *Berl. part. 2. Concl. 17. n. 121.* Ampliat illud 4. *Dn. Carpz. ad Const. Elect. 15. part. 2. def. 3.* dicens. Quod etiam mulier sine curatore super debito sibi soluto quittance facere, ac debitorem suum liberare nequeat, quod an adeò directè ex præd. Const. vel potius contrarium, (dum i. de contractibus obligatoriis non liberatoriis per verba. *Damit sie sich gegen iemand verpflichten/* loquitur. 2. Dum dicit, *Mit ihrer fahrenden Haab zu thun/* ohne Vormündern beständig und verbindlich zu schließen und zu handeln hiermit unbenommen seyn soll.) sequatur, aliis judicare relinquo in autoritate interea hujus viri & receptâ forsitan practicâ acquiescens. Antequàm verò ad limitationes hujus asserti perveniatur quærere lubet.

Thes. XVI.

An mulier hæc ratione de immobilibus absq; curatore contrahens & juramento contractum confirmans firmiter obligetur? Et affirmare non veremur cum *Dn. Carpz. d. jur. fœm. decad. 3. posit. 3* per rationes ab eo adductas: Licet enim multi Doct. inter quos est *Berl. part. 2. Concl. 17. n. 105. Möller ad Const. Elect. part. 2. Const. 15. n. 19.* & alii partes negantium sustineant, quia i. consensus curatoris ad talem mulieris contractum sit de formâ substantiali contractus, quo omissio contractus talis ipse jure nullus sit, quod verò nullum sit juramento con-

to confirmari nequeat 2. quia juri publico pactis privatorum derogari non possit. Respondetur tamen ad 1. Mulierem teneri non vi contractus sed vi juramenti quod contractui supervenit, imò ad 2. Object. talis contractus non est ipso jure nullus, cum 1. vir ex tali contractu firmiter obligetur erga foeminam, 2. ille non fiat contra jus & ejus dispositionem, dum nullibi Const. Elect. mulieribus absq; curatoribus etiam de immobilibus contrahere interdicit, sed saltem præter illam, hoc est, jus constitutionum istum contractum ex parte mulieris seu foeminæ negat esse obligatorium, quem tamen obligatorium vi juramenti reddi posse juri publico nil derogat, cum id saltem fiat in præjudicium personæ privatæ, non verò alterius tertii, *per arg. cap. cum contingat X. d. jurejurando.*

Thef. XVII.

Limitationes tamen hujus asserti apponere præcedenti th. 15. promissimus. Sciendum igitur mulierem æquè ac virum in contrahendo absq; curatore obligari 1. Si extra territorium Sax. mulier cum alio contrahat, licet illa domicilium suum in terris Saxon. habeat: Locus enim ubi negotium gestum attendi debet *l. si fundus 6. ff. d. Eviçt.* præsertim, cum etiam Reus forum in loco contractus sortiri possit *arg. l. 19. in pr. §. 1. ff. d. judic.* tradente *On. Carpz. in Proc. jur. Tit. 3. art. 2. n. 1. 2. 3. Wesemb. ad ff. d. judic. n. 10.* Neq;ve obstat 1. Quod reus ubi forum ibi etiam jura sortiatur, 2. *l. f. C. ubi in rem. l. 38. ff. d. Judic.* Est enim speciale quoddam si ex contractibus agatur. Unde mulier, quæ extra ditiones Saxonicas habitat & contrahit Lipsiæ juvari videtur hoc beneficio. An verò mulier habitans in Saxoniâ & extra illâ de immobilibus contrahens cum viro etiã in Saxonia domiciliũ & forum habente ipsi obligetur absq; curatore dubitamus meritò cum *Berlich. part. 2. Concl. 17. n. 53,* cum hoc ad defraudandam mulierem bene-

beneficio suo factum esse videatur. Et qui sunt ejusmodi casus plures quos brevitatis gratiâ aliâs in amplissimâ materiâ occupati recensere intermittimus. Limitatur 2. hæc nostra assertio in muliere de mobilibus contrahente *per verb. expr. in d. Const. 15.* Unde mutuum accipere seqvè ad interesse absq; curatore obligare poterit. An verò pecuniâ absq; illo ad perpetuas usuras accipere seqve ad illas obligare possit, nō incongruè negamus, præsertim cum ejusmodi pecunia vigore *const. El. Sax.* in foro nostro pro re immobili reputetur. *part. 3. Const. 24. inf. in verb.* **Daß sie die Hauptsüma derer wiederkäufflichen Zinsen in beyden obgesagten Fällen vor unbewegliche Güter erkennen sollen.** Limitatur 3. Si matrimoniū contrahat: Est enim hæc causa ecclesiastica ad quam *Const. Elect.* extendi non potest. *Beust. Tract. d. Spons. p. 1. cap. 22.* 4. Si contractus iste mulieri sit utilis: Cessat enim ratio prædictæ *const. dicentis, unschädlich und unnachttheilig seyn/ & per consequ.* argumentum à contrario sensu hoc casu locum habebit. 5. Si in præsentia consanguineorum contrahat, quod tamen magis observantiâ practicâ quàm expresso jure sic svadente introductum videtur. Unde etiam illud quod mulier pacta dotalia absq; curatore facere, in iisq; dotem, nisi dos ista æstimata sit in bonis immobilibus, constituere possit derivatum esse affirmat *Carpz. ad Const. 15. p. 2. def. 11. n. 4. 5. 6.* Nisi forsitan ex ratione mobilium etiam hocce pactum stabilire velimus. Limitatur. 6. In muliere mercatrice. Si sc. intuitu mercaturæ contrahat *per cit. Const.* quanquam etiam hic contractus tanquam de rebus mobilibus factus defendi possit. Unde etiam mulierem mercatricem, licet intuitu mercaturæ, bona in mobilia absq; curatoris autoritate alienare posse dubitamus *per verba expr. in d. Const.* **Mit kauffen und verkauffen in denen Krämen und andern dergleichen Wahren.** Et quæ sunt ejusmodi limitationes aliæ, quas longo agmine affert *Berlich. Part. 2. Concl. 17. n. 27. & mult. seqq.* quomodoqve

D harum

harum alia in jure fundentur & subsistant peritioribus in jure
inquirendum relinquo. In fine tandem hujus materiae quaerere
lubet. An mulier mortis causa aequè ac vir absq; cura-
toris autoritate donare possit? Et respond. affirmando: Sapit
enim illud naturam ultimæ voluntatis cujus jura foeminis ex-
pressè concessa sunt per saepe alleg. *Const. Elect. Sax.* Cui ad-
stipulat *Andr. Rauchb. part. 1. quest. 32.* & ad contraria respon-
det. Ibi namq;ve non obstat 1. Quod mulier bona mobilia
absq; consensu mariti mortis causa donare non possit, Ratio,
quia neq; testamento illa marito auferre potest: Jus enim
quod conjuges ratione successionis in alterius bonis habent
testamento vel aliâ ultimâ voluntate ipsis auferri non po-
test, nisi forsitan lex vel statutum dicat: Si *ab intestato* mori-
antur, tunc enim confectione testamenti auferri posse non in-
ficiatur. Sed in hac successione rerum mobilium nulla fit
mentio successionis ab intestato, sed absolutè dicitur *in speculo*
Sax. Lib. 1. art. 31. **Stirbt aber das Weib bey des Mannes**
Leben/ sie erbet keine fahrende Haabe/ denn allein Gerade
und eigen/ als sie das hat an ihren Nächsten. Manebit igi-
tur uxorem mobilia absq; consensu mariti mortis causa dona-
re non posse. Neq; obstat 2. *Textus in Land R. loc. cit.* dicens.
Kein Weib mag auch ihres Guts ichts vergeben ohne ih-
res Mannes Willen. Resp. enim ad 1. Licet non negetur
mulierem absq; mariti consensu bona mobilia mortis causa
donare non posse, quicquid etiam dicat *Schultzius ad J. d.*
donat. lit. a. ubi indistinctè mariti consensum rejicit, scien-
dum tamen hoc casu mariti consensum requiri non quatenus
curator est sed quatenus maritus, utpote in cujus præjudicium
uti supra dictum ex ratione futuræ successionis vergit ista do-
natio. Ad 2. resp. loquitur textus de alienatione & donatione
inter vivos, quod in præjudicium viri fieri non posse infra pa-
tebit, non verò de donatione mortis causa, tradente *Schultzio*
ad.

ad *J. d. patr. pot. lit. a.* quam ratione immobilium absq; consensu & mariti & curatoris à solutâ & maritatâ, ratione mobilium verò absq; interventu curatoris (non verò mariti respectu maritatæ (à solutâ & maritatâ celebrari posse concedimus.

Thef. XVIII.

Pervenimus etiam ad jura patriæ potestatis, quibus viri soli tam jure civili §. *fœmina 10. J. d. Adopt. & l. mulierem 5. C. eod.* quàm Saxonico gaudent testante *Const. Elect. Sax. 10. part. 2.* Ut verò eò feliciter hanc materiam tractemus peculiare quosdam hujus patriæ potestatis considerabimus effectus. Et consistunt illi i. In potestate adoptandi & arrogandi, quæ solum viro competit §. *cit. J. d. Adopt. d. l. 5. C. eod.* A quibus etiam jus nostrum Saxonicum nullibi dissentit, sed potius illud ex jure Cæsareo derivavit per *gl. spec. Sax. lib. 1. art. 31. n. 2.* Nisi quod autoritate magistratus municipalis ejusmodi actum fieri debere affirmet *cit. art. 31. 2.* In potestate pupillariter substituendi *pr. J. d. pupill. subst. l. 2. pr. ff. d. vulg. & pup. subst.* Unde etiam solus Pater matrem interveniente substitutione hæc pupillari hæreditate liberorum privare potest, non verò vice versâ. Nec obstat quod matri ad minimum debeatur legitima, quâ non acceptâ instituere possit querelam inofficiosi §. *1. J. d. in off. test. l. 15. in pr. ff. eod.* Respondetur enim, quod hæc leges loquuntur saltem de querela inofficiosi contra testamentum liberorum non contra substitutionem pupillarem à Patre factam, contra quam querela illa locum non habebit. Sed quicquid sit, licet jure Saxon. illud correctum non reperiatur, peculiari tamen constitutione illud immutavit *Illustriss. Saxon. Elect. Divus Augustus p. 3. C. 8.* Ubi cavetur, quod in omni casu substitutionum matri legitima hoc est tertia pars omnium bonorum expressè relinqui debeat. Ex quibus sequitur quod Pater adhuc hodie vigore Constitutionis hujus matrem hæreditate

liberorum usq; ad legitimam, mater verò patrem ejusmodi interveniente substitutione ne obolo quidem in successione liberorum privare possit. Neq; obstat *l. 33 ff. d. vulg. & pupill. subst.* Ubi dicitur. Si mater ita testetur, ut filium impuberem, cum erit annorum quatuordecim, hæredem instituat, eiq; pupillaribus tabulis, si sibi hæres non erit, alium substituatur, valet substitutio. Ex quibus sequi videtur quod pupillariter possit substituere. Verum respondetur, Licet apponantur verba pupillaribus tabulis, non tamen efficient ut substitutio statim sit pupillaris, sed quia filio ante pubertatem non licet adire hæreditatem, ideò pupillarium tabularum facta est mentio, inclinaturq; potius in naturam vulgaris substitutionis. Unde non incommode quæri potest.

Thef. XIX.

An mater fiscum autoritate hujus legis omnimodà successione impubis filii vel filia privare possit? Et negatur. Vulgaris enim substitutio non extenditur ad omnia bona, sed tantum ad ea, quæ ex istâ hæreditate, in quâ substituitur, deferuntur, unde quod mater fiscum à successione impubis respectu aliorum quam maternorum bonorum excludere possit non videtur, quod tamen à Patre fieri posse mediante pupillari substitutione non negamus, cum illa etiam ad bona aliunde provenientia extendatur §. 4. *f. d. pup. subst.* Quoniam autem dictum est pupillarem substitutionem etiam extendi ad bona aliunde provenientia non ineptè quæritur. An pater liberis pupillariter substituens adeò præjudicet matri ut non possit amplius autoritate *d. l. 33.* quoad bona materna alium liberis substituere, hoc est, Pater quidem decedens substituit pupillariter filio suo Maxium, quæritur igitur, quia substitutio hæc ad bona aliunde etiam provenientia extenditur, an etiam mater postea decedens filio suo autoritate *d. l. 33.* quoad bona materna possit substituere Titium? Et respondetur affirmando.

mando. Licet enim pupillaris substitutio ad bona aliunde etiam provenientia extendatur, sciendum tamen quod hoc casu bona ista materna tunc temporis (si sc. filius impubes moritur) nondum sint in bonis filii *d. l. 33.* Quæri etiam posset. Num detur alius modus quibus Parentes se invicem hæreditate liberorum privare possint? Et resp. distingvendo inter hæreditatem liberorum totalem, & ejus partem, illam sc. quam capiunt à Patre vel matre. De priori casu negamus, de posteriori affirmamus dicentes, quod Pater Matrem, & vice versâ, eâ parte, quam capiunt liberi ex hæreditate testatoris vel testatrix, in successione liberorum privare possit jure fidei commissi *l. 17. in pr. ff. d. Scitum Trebell. l. filiusfam. 114. §. 6 ff. d. Leg. 1.* quod & licet liberi annos pubertatis egressi fuerint obtinebit *per general. d. l. 17.* Retentâ tamen à patre vel pro diversitate casus à matre legitimâ & Trebellianicâ portione simul *c. Raynutius 16. & c. Rynaldus 18. X. d. Testam. & ult. vol.* Quia jus illud quod filius vel filia in detrahenda & legitimâ & Trebellianicâ simul in ista hæreditate habuit ad Patrem vel matrem (dum non renunciavit & intestatus moritur) transmississe videtur *arg. l. 10. C. ad L. Falc. Ubi. Ideoq; non immeritò sororem tuam, quæ simul tecum ab intestato ei successit emolumentum quod retinere potuit portionem sibi vindicare manifestum est.* Præsertim etiam cum, uti nostri Practici volunt, filius vel filia hoc casu fidei commissio in diem gravata fuit. *Gail. 1. Obs. 121. Dn. Carpzov. ad Const. Elect. part. 3. Const. 1. d. 21. Petr. Heig. p. 1. quest. 32. n. 15. & alii.* Dixi autem, si non renunciavit & intestatus moritur: Testamento enim vel renunciatione harum portionum ex parte filii vel filia casum immutari, & pro diversitate circumstantiarum aliter evenire posse non dubito. Hæc quidem, puta renunciatione, in proposito casu prorsus privari possunt parentes iis portionibus, cum quilibet jure & beneficio pro se introducto renunciare possit. Isto

D 3

verò,

verò, testamento sc. filii vel filia non amplius in patriâ potestate existentis usq; ad trientem harum portionum (E. g. si legitima & Trebellianica sunt 300. triens erit 100.) privari possunt, ulterius verò non, cum æqvè ex istis portionibus, quibus non renunciavit filius vel filia, Patri vel Matri debeatur legitima atq; ex reliquis liberorum bonis, quam testamento parentibus auferri posse unanimiter negant omnes *per text. supra lb. 18. cit.* Et hæc incidenter saltim dicta sunt de hac quæstione. Pergimus ad alios patriæ potestatis effectus.

Thef. XX.

Tertio consistit etiam Patriæ potestatis effectus in eo, quod 1. Interdum filiusfam. absq; interventu Patris agere & conveniri non possit, ut in peculio adventitio, quando renuente Patre aliquid acquisivit filiusfam. *per l. f. in pr. Vers. Et filius. C. d. bon. quæ lib. Maranta de Ord. Judic. part. 4. dist. 16. n. 18.* 2. Quod interdum Paterfam. absq; interventu filii fam. agere & conveniri non possit, uti in Peculio adventitio ubi Pater habet usumfructum *per l. cit. §. 3. C. eod. Dn. Struvius in syntagm. Jurispr. Excerc. 9. §. 6.* non obstante *l. 1. C. d. bon. matern.* Licet enim Imperator ibi dicat. Patrem debere omnem rei tuendæ diligentiam adhibere, & quod jure filiis debeatur, in examine per se vel per procuratorem poscere, atq; omnia agere tanquam solidum perfectumq; dominium eis acquisitum fuisse. Loquitur tamen imperator saltim de diligentia adhibendâ tanquam in re propriâ non verò de interventu filii fam. hoc casu non necessario. Quæ tamen limitatè & non nisi de filio majorenni intelligenda erunt *per l. cit. in pr. vers. Et hoc quidem §. 3. C. d. bon. quæ lib. l. generaliter §. C. d. secund. nupt.*

Quarto operatur quod, si filiusfam. major seu, uti lex loquitur integræ ætatis nolit adire hæreditatem, sibi delatam, vel acceptare donationem &c. paterfam. illud facere & omne
lucrum

lucrum in suam fortunam habere possit. *d. l. f. in pr. versu*
Sancimus C. d. bon. qua lib.

Quinto efficit etiam Patria potestas exceptionem SCti
 Macedoniani, quâ mediante etiam post mortem patris filii
 improbos ejusmodi Macedones & fœneratores utpote quo-
 rum ære tempore patriæ potestatis obruti ab actionibus insti-
 tutis repellere possunt *l. 1. ff. ad SCtum Maced.* Quam ex-
 ceptionem etiam ad patrem, si forsitan filius prius mortuus
 fuerit, & quemvis alium hæredem transmittit filius *per l. 7.*
§. 10. ff. eod. Wesemb. ad ff. ad SCtum Maced. n. 7. Nisi forsitan
 filiusfam. castrense peculium habeat tempore obligationis,
 tunc enim cessabit SCtum. *l. 1. §. 3. inf. ff. eod.* Usq; ad quan-
 titatem sc. istius peculii *l. 2. ff. eod.* Quia in illo habetur loco
 patrisfam. atq; de eo testamento disponere potest *l. 2. ff. d.*
castr. pecul. l. ult. C. qui test. fac. poss. quod tamen filiafam.
 nunquam permissum est, quia nihil jure peculii castrensis vel
 quasi acquirat. Nota tamen quod ejusmodi debitum, contra
 quod datur exceptio SCti Maced. semel solutum conditione
 indebiti repeti non possit, ratio est in *l. 46 ff. d. condict. indeb.*

Sexto, quicquid acquirat filiusfam. illud Patri acquirat
 tam quoad proprietatem quam usumfructum respectu sc. pe-
 culii profectitii *§. 1. f. per quas pers. cuiq; acqu.* Non enim
 iniquum est, quod ex patria occasione profectum est, hoc ad
 eum reverti. Unde illud etiam promanat quod Pater filiof.
 donare non possit *l. cum de bon. ii. C. d. donat, æqvè ac mater.*
l. velles 6. C. d. revoc. donat. Cum ad matrem non revertatur
 donum illud quemadmodum ad Patrem, quod omnino ex
 parte Patris actus frustratorius esset.

Septimo. Filiusf. & filiaf. non possunt facere testamen-
 tum *l. pen. C. qui test. facere poss. l. cum non solum. 8. §. 5. vers.*
Filiis autem fam. C. d. bon. qua lib. Etiam si pater eis permit-
 tat *l. 6 ff. qui test. fac. poss.* Nisi filiusf. testetur de bonis castrensi-
 bus vel quasi, uti supra dictum.

Octa-

Octavo. Pater in bonis adventitiis filiam. habet usum-
fructum, hoc quemadmodum & quando procedat, cum præ-
sertim ad utilitatem virorum spectet sequent. sect. 2. videbitur.
Nos subsistimus iterea & L. B. ad Autores præsertim *Schneid.*
ad J. qui plures Patriæ potestatis effectus recenset *tit. d. patr.*
n. 24. & mult. seqq. remittimus ad materiam testimoniorum
pergentes,

Thef. XXI.

Quando & in quibus casibus viri testimonium admit-
tendum sit vel non multis numerare verborum ambagibus
uti hujus non est instituti, ita aliàs prolixitate materiæ ab isto
labore arcemur. Sufficiat igitur enumerare casus, in quibus
vir præ foemina ad testimonium dicendum admittitur non
obstante *l. ex co 18. ff. d. Testib.* Præterquam enim, quod foe-
minis iis in casibus ubi testimonium ferre non prohibentur
tanta fides non adhibeatur quanta maribus, (uti observantiã
ita obtinere testatur *Dn. Carpzov. in Pr. jur. tit. 13. art. 3.*
n. 66. Rothschitz in Pr. jur. part. 1. art. 18. n. 14. cujus rei exem-
plum nobis subministrat *l. ult. ff. d. fid. instrum.*) dari etiam
casus tanquam exceptiones speciales à supra oppositã *l. 18. ff.*
d. testib. indubitatum est. Et quidem 1. Est casus in *l. quã*
testamento 20. s. 6. ff. qui test. fac. poss. s. 6. J. d. testament.
Ubi dicitur quod mulier in testamento testimonium dicere
non possit. Quæ tamen de testamento solenni intellecta esse
volumus illa ad reliqua testamenta privilegiata & ultimas vo-
luntates tanquam odiosa non extendentes, de quibus hinc inde
Autores videri possunt præsertim *Dn. Carpz. ad Coust. Elect 1.*
p. 3. d. 30. Idem de Jur. foem. decad. 9. posit. 7. Dan. Möller lib 4.
semestr. 8. Joh. Harprecht § 3. & 4. n. 239. J. d. testam. Ord.
Schneider. ad J. d. testam. ord. §. testes. n. 3. 2. Rejicitur etiam
testimonium foeminae in causis feudalibus *lib. 2. F. tit. 32. inf.*
Corvinus ad Jus feudale lib. 4. tit. 6. inf. & c.

Thef.

Thef. XXII.

Ultimo tandem succedit loco, quod vir ab uxore per totum annum lugeri debeat, antequam illa novo viro nubat, atq; secus faciens infamiâ aliquâ afficiatur *l. i. C. d. secund. nupt. Nov. 39. cap. 2.* Vir verò statim soluto per mortem uxoris matrimonio solutus sit legibus istius matrimonii neq; lugere illam teneatur *l. uxores 9. ff. d. bis qui not. infam.* & per consequens ex tempore aliam ducere possit. Quamquam autem illud magis propter rationem quandam physicam quam honorem quem uxores maritis debent ortum traxisse videatur, cujus opinionis firmum nobis exhibet fundamentum *l. liberorum autem 11. §. 1. & 2. ff. d. bis qui not. infam.* Verùm quia lex non tam de mansione per annum in viduitate sive lugeat virum sive non quam de luctu viro demortuo per annum præstando loquitur *text. expr. l. cit. 1. C. d. sec. nupt.* Ubi. *Si quæ mulier nequaquam LUCTUS RELIGIONEM priori viro nuptiarum festinatione præstiterit, ex jure quidem novissimo sit infamis. &c.* Ideò dignitati virorum etiam aliquid exinde accrescere non immeritò autumabit aliquis cum *Bacchov. ad Weseimb. parat. de bis qui not. inf. n. 5. lit. u.* Idq; eo magis evenire videtur in terris Elect. Saxon. *per Ordin. matrim. d. anno 1624. punct. 5. §. was endlich. verb. Wann dann solches der Erbbarkeit und natürlichen Pflicht zuwider / so wollen wir / daß hinführo eine Witbe ein ganzes Jahr ihre Trauerzeit halten / und für Außgang desselben sich wieder zu verhehlichen oder Hochzeit anzustellen nicht Macht haben soll.* Ubi i. indifferenter vidua per annum virum lugere tenetur, licet etiam altero die vel mense post mortem mariti pepererit, & ita cessaverit ratio adducta *in l. 11. ff. d. bis qui not. inf. 2.* Loquitur dicta ordinatio non de statu viduitatis per annum simpliciter, sed de tempore luctus. *Ihre Trauerzeit halten soll.* Cum tamen, si hoc non insimul in honorem mariti defuncti

E fieret,



fieret, utiq; foemina i. post editum partum etiam intra anni
spacium ad secundas nuptias progredi possit autoritate *d. l. ii.*
§. 2. 2. Non teneretur per annum lugere virum sed saltem
tanto tempore in viduitate permanere. Hâc ratione etiam
maritus per semestre spacium saltem in casu contrario uxorem
lugere tenetur *per d. Ord. Matrim. loc. cit. in verb.* So wollen
wir / daß hinführo ein Witber zum wenigsten ein halbes
Jahr die Trauerzeit halte / und für außgang desselben
sich wieder zu verehlichen oder Hochzeit anzustellen nicht
Macht haben soll. Uti etiam semper hâc ratione in Consisto-
riis pronunciatum refert *Dn. Carpz. in Jurispr. Eccles. Lib. 2.*
tit. 9. def. 159. 160.

Quæ verò supra dicta sunt de nota infamiæ, quam uxor
intra annum luctus nubens incurrit jure Civili, ea correctâ
sunt jure Canonico, quo vidua, etiamsi intra annum luctus
nubat, non tamen notâ infamiæ afficitur, *c. Euphemium. vers.*
quod etiam de eâ fateri cogimur caus. 2. quest. 3. it. cap. pen. §. c.
f. X. d. secund. nupt. Cui etiam in præsentia & nos assentimur
dicentes. Quod, licet jus Civile in eo approbetur per Ord.
Matrim. ne sc. vidua intra annum luctus novo viro nubat, se-
cus tamen hodie faciens & intra tempus prohibitum nubens
non statim infamiâ aliquâ laboret. *Carpzov. Jurispr. Eccles.*
Lib. 2. tit. 9. def. 162. Ratio. Quia exolutâ dispensationis
multâ dispensari solet hoc passu à Consistorio supremo Dres-
densi (non alio inferiori, puta, Lipsiensi aut Wittebergeni ex
Rescripto Consistorio Wittebergeni præsentato. *Anno 1623.*
10. Febr. Ubi. *Begehren hiermit gnädigst / wenn ins fünff-*
zige umb dispensation bey noch wâhrenden Trauer Jahre
Hochzeit zu machen angesuchet wird / ihr wollet die Par-
theyen an unser OberConsistorium remittiren.) per Ordin.
Matr. loc. cit. Jâm verò facti infamis & turpis nulla dispensa-
tio aut concessio quemadmodum nec obligatio esse potest.

Quan-

Quamquam non negemus quod absq; dispensatione facta vi-
dua intra tempus luctus nuptias celebrans arbitrariè puniri
possit assentiente *Dn. Carpz. in Pr. Crim. part. 2. quæst. 56. inf.*

SECT. II.

Thef. I.

Absoluta primâ hujus dissertationis parte, in quâ de juri-
bus virorum ad dignitatem eorum spectantibus actum
& pervenimus etiâ ad secundam; ubi jura virorum
utilitatem concernentia considerabimus. Quia verò in ma-
teria successio- num tam secundum jus Commune quàm Saxo-
nicum magna jurium singularium sese obfert copia, ideò ope-
ræ pretium erit principio ea statim percurrere. Succeditur
verò vel in feudalia vel allodialia bona. Successionem feu-
dali- um quod attinet notissimum est mares solos esse capaces
feudi fœminis à successione eorum regulariter exclusis *F. 1. tit. 8. §. Filia verò. It. tit. 24. eod.* In tantum quidem 1. Ut
masculis etiâ ex fœminis descendantibus ipsa feudi succes-
sio præclusa sit, licet ibi cessare videatur ratio, puta servitia mi-
litaria, quæ fœminas excludit, nihilominus tamen defectus il-
le in hæredes derivetur: Quod enim aliquis non habet in al-
terum transferre non potest, idq; quod alicui obstat ejus hæ-
redi quoq; obstabit *l. 143. ff. d. R. J. Et per text. expr. F. 1. tit. 8.*
Ubi. Si quis igitur decesserit filiis & filiabus superstites succe-
dunt TANTUM filii æqualiter vel NEPOTES EX FILIO loco
sui patris. Cum quo etiâ concordat *jus Saxon. in Lehn R.*
cap. 21. verb. Es vererbet auch niemand kein Lehn an einen
andern ohne der Vater auff den Sohn. Ampliatur etiâ
2. Ut arceantur quoq; fœminæ à successione feudi hæredita-
rii, *derer Erblehn Güter* / retinent enim illa naturam feudo-
rum in eo, quod servitia ex illis debeantur militaria, *Ritter-*
Dienste / quæ propriè sunt ratio exclusionis à feudo. Nisi

feudum illud hæreditarium insimul forsitan sit fœmineum, in quo quemadmodum succedatur infra dicendum. Ampliatur 3. Licet fœmina simultaneè investita sit, hoc est, licet investitura *auff eines Leibes Erben Söhne und Töchter* facta sit, nihilominus tamen fœmina non nisi deficientibus masculis ad successionem feudi admittatur *per text. expr. F. 1. tit. 8. §. filia vero. Ubi. Tunc enim succedit filia filiis non extantibus.* Imò illud ad masculos ulteriori gradu quàm primo in lineâ descendentem à primo acquirente existentes extendit *Pistor. part. 2. quest. 35. n. 2.* meritò: Regula enim generalis est, quâ fœminæ in feudi successione locus non patet, donec masculus superest ex eo, qui primo de hoc feudo fuit investitus, cui etiam assentit *Dn. Carpz. ad Const. Elect. 18. part. 3. def. 13. inf.* Quam tamen opinionem limitatè procedere sciendum est: Nisi sc. investitura sit facta fœminis æquè ac maribus ratione successionis, quo casu fœminas æquali jure cum maribus simul succedere constanter affirmamus *F. 2. tit. 104. §. item si quis: Præsertim, dum eo casu per talem investituram consensus Domini accedit, in cuius præjudicium aliàs propter defectum servitorum eo nolente ejusmodi successio fieri non potest, jam verò quemlibet juri suo renunciare posse indubitato constat.* Antequam autem ad quartam ampliationem perveniamus pulchra examinanda obveniret quæstio.

Thef. II.

An sc. fœminæ de feudo simultaneè investitæ per masculos verò modo supra posito semel exclusæ à successione, perpetuo exclusæ maneat, ita ut ne masculis quidem deficientibus admittantur? Verùm, quia hæc quæstio ubiq; fermè à Doct. agitata extat, præsertim *Pist. part. 2. quest. 36. Gail. 2. Obs. 148. Schneidew. d. feud. part. 6. tit. d. success. fœmin. n. 50. Fachin. lib. 7. controuv. jur. cap. 45. Rosentb. cap. 7. Concl. 39. Wesemb. d. feud. cap. 6. n. 23. Vultej; d. feud. lib. 1. c. 9. n. 51. 52. Sonsbec. d. feud. part.*

part. 9. n. 131. Mynsing. Obs. 74. n. 8. cent. 5. Petr. Heig. lib. 1. q. 26. n. 9. Carpz. ad Const. El. 28. part. 3. def. 15 & aliis pluribus. Ideo absq; ulterioribus ambagibus cum Pistorio, Wesemb. Mynsing. Carpz. Heig. Sonsbec. & Vultej. Negativam contra Gailum, Schneidev. Fachin. Rosenth. qui in loc. cit. affirmant, arripere lubet. Fœmina enim hac ratione non exclusa sed magis non admissa videtur, & licet exclusa dicatur non tamen à jure successionis sed saltim à præsentis successionis actu exclusa dicenda est, uti eleganter Herm. Hermes ad Wesemb. l. cit. lit. u. Imò sæpe nullius momenti talis esset investitura, cum fœminæ non nisi primo statim acq;virenti immediatè succedere possint, essetq; contra text. F. 2. tit. 17. ubi dicitur. *Non patet locus fœminæ in feudi successione donec masculus superest*, Ergo à contrario, patebit si non superest, propter voculam *donec*, quæ est limitativa temporis conditionem inducens. Carpz. ad Const. El. 27. p. 2. def. 7. Cui nostræ opinioni, quem tanquam lydiū lapidē gloriantur contrariantes, non obstat text. F. 1. tit. 6. Ubi *Quin etiam si quis eo tenore feudum acceperit, ut ejus descendent masculi & fœmina illud habere possint, relicto masculo fœmina ulterius non admittitur*. Vox enim ULTERIUS cum vocabulo NON, licet sit exclusiva, quemadmodum in l. 3. in f. C. d. præfer. 30. vel 40. annor. Ubi. *Post hanc verò temporis definitionem nulli movendi ulterius facultatem petere censemus*, non tamen hoc loco sumendum est pro omnimodâ sed saltim pro præsentis exclusione à successione. Hoc est. Fœmina ultra jus & spem successionis, quam jam dum tempore investituræ habuit & adhuc habet non admittitur ulterius, puta, ad ipsum successionis actum de præsentis relicto masculo, & per consequens vocula ULTERIUS referenda erit ad actum præsentem non verò ad jus & spem successionis. Et quæ sunt ejusmodi objectiones aliæ, quas L. B. hinc inde apud autores colligere potest.

Thef. III.

Absolutâ hacce quæstione pervenimus etiam ad reli-
 quas ampliaciones. Ampliatur autem hæc nostra conclusio
 4. in feudis foemineis, hoc est in ejusmodi feudis, quæ foemina
 primùm acqvisivit, (Non enim statim est feudum foemineum
 quod foemina habet, sive in quo simultaneè investita est & ad
 successionem admittitur, dum hoc casu non jure feudi foemi-
 nei sed jure pacti & ex formâ investituræ uti loqui videtur
*Hartm. Pist. de feud. quæst. 35. part. 2. in pr. & post eum Wesemb.
 d. Feud. cap. 6. n. 22. inf.*) quod sc. etiam ibi hæredes masculi
 præferantur foeminis in successione istius feudi, licet de eâ re
 nullum pactum factum sit *per text. F. 2. tit. 30.* Additâ tamen
 eadem limitatione quam præcedenti th. i. posuimus: Nisi sc.
 investitura in ejusmodi feudo foemineo facta sit, ut mares &
 foeminæ æquali jure & privilegio simul succedant. Neq; ob-
 stat quod in feudo foemineo natura feudi immutata videatur,
 dum qualitas personæ, quæ feudum ab initio acqvisivit, iisdem
 conditionibus, quibus ad ipsam pervenit, ad descendentes
 transmisisse censeatur, in feudis enim semper ad originem re-
 spicere, & secundum eam de naturâ feudi judicare solemus.
 Meritò igitur feudum, quod à foeminâ initium cepit, ad fo-
 minas rursus transibit. Sed respondetur, quòd qualitas ista
 personæ ejus potentia non sit, ut ipsam feudi naturam penitus
 immutet ita ut mares in istis foeminis non præferantur, sed
 quod hoc tantùm efficiat, ut foeminæ, licet expressè earum
 mentio in literis investituræ facta non fuerit, (hæc ratione
Ihr und Ihren Leibs-Erben) nihilominus deficientibus
 masculis ad successionem feudi admittantur, uti pulchrè *ex tit.
 30. F. 2.* deduci potest, quod tamen in reliquis feudis non ob-
 tinet, dum expressa sexûs foeminei mentio requiritur. *F. eod.
 in verbis. Sicut si datum esset filio masculo.*

Thef.

Thef. IV.

Ampliat 5. quod jure stricto ne quidem filia pauperi ne dum diviti dos quædam ex feudo à filiis vel successoribus solvi debeat. Quamquam illud æquitate ratione habitâ longissimoque temporis usu comprobatum, uti loquitur *Hart. Pist. lib. 2. part. 2. quest. 37. in pr.* ut sc. filii in subsidium si hæreditas allodialis non sufficiat, ex feudo educantur atq; dotentur. *Carpz. d. oner. vof. in feud. dec. 3. pos. 3. n. 16. 17. Berl. part. 2. concl. 55. n. 37. Mod. Pist. vol. 1. conf. 5. n. 22.* idq; minus dubii habet in Electoratu Sax. *per Proc. jud. tit. 45. §.* es trägt sich auch oft zu. *in verb.* Wollen wir / daß sie in solchen Fällen die Töchter / woferne sie sich an denen Erb-Gütern nicht zu erhalten / auch in dem Lehn ein solch Recht haben sollen / daß sie alle dasjenige / was ihnen zu ihrer Ausstattung von ihrem Vater zustehet &c. Und sich derowegen an das Lehn / ob es schon in andere Hände kommen wäre / halten mögen. Quanta verò dos ex feudis solvi debeat decisioni Domini relinquendum statuimus. Dicunt quidem nonnulli atq; pronunciatum referunt quod pro quantitate feudi 3000. fl. solvenda sit quantitas dotis 300. fl. Verùm si præsupponamus talem casum ubi vasallus omni carens allodio habuit feudum 3000. fl. constans, reliquit verò octo filios & unam filiam, statim videbimus hoc universaliter non procedere, filia enim hoc casu plus acquireret ex feudo quam quisq; filiorum separatim, quod iniqum imò contra *d. Proc. jud. esse videretur tit. 45. §. cit. in f. ubi.* Jedoch daß mit solcher Ausstattung Das Lehn nicht zu hoch beschwehrt / &c.

Thef. V.

Ampliat 6. quod ne quidem legitima filiabus ex feudo debeat, quippe cum legitima sit certa portio ejus, in quo quis succedit ab intestato *l. 8. C. d. inoff. test.* sequitur, quod femina illam ex feudo petere non possit. Quod in foro quidem

com-

26.



communi universaliter procedit. In Elect. Sax. distingvimus utrum feudum sit novum an antiquum. Ex antiquo denegamus, ex novo verò pro ratione circumstantiarum largimur filia legitimam. Si sc. 1. dotem & omnia quæ à Patre accepit conferat, unde accuratè tracto calculo an dotem in subsidium, per thes. præced. an verò legitimam ex feudo novo ob defectum allodialium petere foemina sit proficuum videbit causæ Patronus, cum pro quantitate numeri hæredum tum foeminarum tum masculorum modò hujus modò illius quantitas major esse poterit. 2. Si bona allodialia Pater vendiderit atq; feudum planè novum sibi comparaverit, ita ut filia ratione legitimæ ex allodio contenta reddi non possit, aliàs ipsi imputatur. Quæ omnia procedunt vigore *Constit. 2. D. Aug.* quæ quidem ut loquitur *Un. Carpz. ad Const. 9 part. 3. def. 29.* certis de causis publicè edita cum quibusdam aliis non fuit. sub Rubr. **Ob die Töchter aus neuenerkauften Lehn-Gütern die Legitimam zu fordern haben/** cujus tenorem refert *Berl. part. 3. Concl. 11. n. 56.* Quia verò legitimæ hoc casu mentio facta est pulcra quædam enucleanda venit quæstio. An sc. hoc casu legitima secundum quantitatem omnium bonorum, an verò feudaliū saltim computanda veniat. Resp. Rationem affirmandi suppeditare hoc, quod, ubi legitima debetur ex omnibus bonis allodialibus exceptis privilegiatis E.g. utensilibus &c. quod Illustriss. Constituens hoc passu ad feudalia extendisse videatur, & per consequens foemina legitimam ex quantitate omnium bonorum acquirere debeat. Verum nos in præsentia de posteriori saltim affirmamus dicentes. Quod foemina eo casu in allodialibus acquirat portionem virilem, quæ ipsi deinde imputatur in legitimam, quam saltim ex feudaliibus petere potest. E. g. Titius habens feudalia 12000. fl. & allodialia 800. fl. constantia moritur & relinquit duos filios & unam filiam. Hoc casu legitima non computatur ex omnibus bonis

bonis quæ respectu allodialium esset 200. fl. & ita ex parte filia
 66. fl. 14. gr. respectu feudalium 3000. ex parte filia 1000. fl.
 qui superiores 66. fl. & 14. gr. ipsi imputarentur in hos 1000. fl. &
 ita ex feudo filia solvendi remanerent 933. fl. 7. gr. Sed hæc po-
 tius ratione procedendum. Filia prius accipit portionem
 virilem ex allodio hoc casu 266. fl. 14. gr. deinde petit legitimam
 ex feudo, quæ hic ex parte filia facit 1000. fl. in quos ipsi impu-
 tantur superiores 266. fl. 14. gr. atque ita filia ex feudalibus sol-
 vendi restabunt 733. fl. 7. gr. Et ad hoc affirmandum move-
 mur *d. Const. Aug.* Ubi i. dicitur. **So sollen seine Töchter
 an statt der ganzen oder zum mehrentheil entwendeten
 Bahrtschafft oder Kauffgeld von dessen Lehnfolgern ihren
 gebührenden Antheil an der Legitima, &c.** Ergo de aliena-
 tis & in feudum conversis bonis allodialibus non verò de ad-
 huc talibus loquitur 2. Reperitur ibi speciale aliquod disposi-
 tum, cuius vigore legitima ultra trientem vel 4. unc. non ex-
 tenditur, licet quatuor vel plures adsint liberi, quod tamen ra-
 tione allodialium ita non procedet, & per consequens ad illa
 non extendendum erit. Non quidem negamus quantitatem
 hancce in effectu convenire: Filia enim, sive ipsi imputentur
 66. fl. 14. gr. sive 266. fl. 14. gr. in superiores 1000. fl. quos loco
 legitimæ ex feudo petit, utroque casu capiet 1000. fl. Quia ta-
 men hæc quæstio in praxi suam forsitan docebit utilitatem,
 conducibilius sc. filia esse plura ex allodialibus retinere & pau-
 ciora ex feudalibus petere, quàm contra, dum melius est habe-
 re quàm petere, ideò sicco pede illud præterire nolimus.

Thef. VI.

Ampliatur 7. quod successores in feudum etiam debita
 hæreditaria ex feudo solvere non teneantur, dum illa ex allo-
 dio in maximum fœminarum præjudicium solvi debentur.
F. 2. tit. 45. Const. Elect. part. 2. Const. 46. Imò licet isti in feu-
 dum successores insimul hæredes existant repudiata hæredi-

F tate



tate feudum absq; exsolutione debiti retinere poterunt *d. tit. 45.* Verum, quia plurimi Auctorum præsertim inter hodiernos *Dn. Carpzov.* utramq; implevit paginam de ejusmodi debitis ex feudo solvendis *in Tract. d. Onerib. Vasall. Feudal.* ideò, ne alienis plumis nos ornare atq; rem actam agere videamur. L. B. ad illum remittimus, ne tamen prorsus silentio illud prætereamus limitationes hujus asserti nonnullas addere lubet.

Thef. VII.

Limitatur autem illud i. in filiis, qui repudiata hæreditate feudum retinere & ita debitis hæreditariis sese liberare non possunt. Sed utrumq; repudient, quod illis interdum conducibile esse poterit, dum hoc casu simultaneè investiti absq; onere debitorum in concursu creditorum acqvirent feudum *F. 2. tit. 45.* & ita beneficium facile parere possit beneficium: Aut utrumq; acceptent, & ita sese immisceant debitis, quæ in subsidium non sufficientibus allodialibus ex feudo solvere necesse habent, *per Ord. Torgens. d. anno 1583. Rubr. Welcher gestalt die Agnaten und mit belehnten s. do aber ein Vater bey seinem Leben* quæ tanquam lege posteriori correctæ est *d. const. 46. p. 2. in f.* cujus vigore filii non semper tenebantur debita hæreditaria in subsidium ex feudo solvere. Et hoc de jure Electorali *per cit. Ord. Torg.* procedit, quod & obtinet de jure Communi. *per d. tit. 45. F. 2.* Sed dicis forsitan quod ibi nulla mentio fiat debiti ex feudo solvendi sed saltem dicatur filium non æque ac agnatum extraneum repudiata hæreditate in feudo succedere posse? Verum, sciendum hoc loco quod propria ratio differentiæ inter filium & agnatum in exsolutione debitorum consistat, utpote à qua liberatum vult **F.** agnatum successorem feudi, quando dicit: Nec de debito hæreditario aliquid feudi nomine solvere cogitur. Jam verò, si filius isto jure non teneretur debitum hæreditarium in subsidium ex feudo solvere, frustranea esset differentia Feudistarum inter

inter filium & agnatum, cū in effectu ad idem res recidat: Quilibet enim, agnatus sc. repudiatā hæreditate filius verò debita in subsidium non solvens, feudum absq; ullo onere acquireret. Restat tandem ut etiam, quid de jure Sax. communi in hac quæstione obtineat, dicamus. Et dicendum quidem videtur *per text. Spec. Sax. Lib. 2. art. 21.* Ubi. **Hat auch ein Mann einen Sohn / der sein Lehns-Erbe ist / und nicht sein Erbe nach Land-Recht / quod filius repudiatā hæreditate possit retinere feudum.** Verū correctionem juris communis quoad fieri potest vitantes salvo tamen aliorum iudicio contrariam sententiam defendere suscipiemus ad textum oppositum respondentem, illum sc. loqui de filio qui tempore mortis patris jam non hæres existit. **Der seines Vaters Erbe nicht ist nach Land-Recht.** E. g. si forsitan renunciaverit futuræ successioni allodiali, non verò textum loqui de eo casu ubi filius post mortem patris hæreditatem repudiat allodiam, **Der seines Vaters Erbe nach Land-Recht nicht seyn will / in quā sententiā autorem habemus Hart. Pist. lib. 2. quæst. 2. n. 49.**

Thes. VIII.

Limitatur 2. in debitis ad elocandam filiam contractis. *Const. Elect. 46. p. 2.* cujus autoritate successores feudi, non in subsidium modo deficientium bonorum allodialium, quemadmodum in puncto dotandæ filia, uti supra dictum, sed nullā factā ab hæredibus, licet possint, solutione, solvere tenentur per verba §. 1. *in f. ibi.* **Sollen solche Schulden durch die Lehnsfolger aus dem Lehn vergnūget, und die Land-Erben darmit verschonet werden.** Quanam verò ratio sit cur filia adhuc dotanda in subsidium saltim ex feudo dotetur, debitum verò propter dotem filia vel sororis (quod *On. Carpzov. ad d. Const. def. 14. 15.* propter universalitatem textus, wegen Außsteuerung derer Töchter oder Schwestern / ad quævis debita elocationis causā contracta, dotemq; promif-

missam extendit meritò.) contractum absolutè ex feudo non in subsidium saltem solvi debeat, nostrum non est inquirere, sufficiat nobis voluntas Illustr. sic Constituentis. Sciendum tamen hoc loco quod referente *Berlich. part. 2. Concl. 55. n. 41.* jure merè Saxonico feudali ejusmodi debitum propter elocandam filiam contractum non nisi in subsidium à successoribus feudi solvi debeat, utpote qui etiam non nisi in subsidium ad elocandam filiam tenentur.

Limitatur 3. in debito ratione dotalitii contracto *d. Const. 26.* quod successor feudi etiam absolutè non in subsidium solvere tenetur, quamvis illud jure communi ex allodio solvendum veniat teste *Wesemb. part. 2. Consil. 77. n. 1. & seqq.*

Limitatur 4. in debitis quæ in utilitatem feudi conversa sunt *d. Const. l. cit.* quæ successor eadem ratione ac superius ex feudo solvere debet. A quâ opinione jus Saxon. & Comm. non alienum esse dicit *Berlich. Part. 2. Concl. 55. n. 59. per gl. lat. Land R. lib. 1. art. 24. lit. P.*

Limitatur 5. in debitis ad comparandum feudum contractis *d. C. d. l. cit.* & reliquis debitis feudalibus, quorum naturam indagare ratione instituti arcemur, & benev. Lect. ad Autores, qui copiosè de hâc materiâ scripserunt remittimus præsertim *Berlich. part. 2. Concl. 55. Carpzov. d. Oner. Vas feud. decad. 1. posit. 8. 9. 10. & decad. 2. per tot.* Hæcquæ de successione feudi, quando sc. masculi tam in ipso successionis actu quam adjacentibus ejus peculiari præ foeminis jure & privilegio gaudeant, dicta sufficiant.

Thef. IX.

Pergimus jam ad successionem allodialium, & primo loco considerabimus successionem mariti, ubi maxima sese obfert singularitas juris dum uxor in casu contrario marito succe-

succedens aliis vel etiam sæpè multò minoribus gaudet com-
 modis. In præsentia autem non sumus solliciti de usufructu,
 quem maritus lucratur ex bonis uxoris, ea enim consideratio
 cùm non spectet ad ipsam successionem, ideo illam infra seqq.
 thes. considerabimus. Sciendum autem maritum uxori de
 jure communi quidem neq; in dotalibus neq; paraphernali-
 bus succedere. *l. dos à Patre 4. Et l. si quidam vivit. C. solut.
 matrim. l. jure succursum 6. ff. d. jur. dot. l. un. §. 6. C. d. rei uxor.
 act. l. 1. C. unde vir Et uxor.* nisi in duobus casibus, si sc. i. Non
 adfuerint Parentes, liberi aut propinqui *d. l. un. C. unde vires
 uxor.* Per propinquos autem hoc loco non intelligimus affi-
 nes, quorum nulla successio ab intestato jure permittitur *l. af-
 finitatis 7. C. commun. de success.* sed consanguineos & quidem
 non infinitum sed ad decimum usq; gradum inclusivè *§. ult.
 J. d. success. cognat.* Non observatâ tamen agnationis & cogna-
 tionis, id quod fit *d. §. f. differentiâ per Nov. 118. cap. 4. Schneid.
 ad J. d. success. cogn. §. f. Brederod. ad J. d. Hæred. quæ ab intest.
 defer. in quarto Ordine succ. Reg 1. 2.* In casu *Auth. prætereâ
 C. unde vir Et uxor.* Verùm quia hisce in casibus etiam uxori-
 bus æqvè competit successio, & maritus in eo nihil singulare
 habet acquiescimus & pergimus ad successionem mariti de
 jure Saxon. ubi certè maximo privilegio gaudet maritus dum
 uxori succedit in omnibus bonis mobilibus non habito re-
 spectu an dotalia an paraphernalia fuerint, exceptâ tamen Ge-
 radâ seu bonis utensilibus *Spec. Sax. l. 1. art. 31. Const. El. 22. p. 3.
 verb. Weil dem Manne nach Sachsen Recht die Fahrniß
 gebühret / Uxor verò è diametro marito in certâ saltim parte
 existentibus hæredibus succedere volens omnia bona, etiam
 geradam ipsam conferre tenetur jure Const. Elect. quod tamen
 marito nunquam præcipitur, sed absqve ullo onere lucratur
 ille mobilia post mortem uxoris, relictis saltim bonis immo-
 bilibus hæredibus uxoris d. art. 31. Const. Elect. 21. p. 3. ibi als*

§ 3

ein

ein unbeweglich Gut auff des verstorbenen Weibes Erben/te. Unde & saepe in elocandis filiabus maritis quidem perniciofa existit practica, quod dona nuptialia & alia quæ in dotem dare volunt immobilia immutent, quo mortuâ forsitan absq; hæredibus filiâ illa non marito cedat, sed rursus ad uxoris hæredes perveniat.

Thef. X.

Hanc verò de marito uxoris hærede mobiliari affirmationem ampliamus i. Quod ne quidem absque consensu mariti uxor bona mobilia in ejus præjudicium testamento vel mortis causâ donando alienare possit: Loquitur enim textus juris Saxon. *cit. art. 31. lib. 1.* non de successione mariti in bona mobilia uxoris intestatæ, quod si ita esset non negaremus quod testamento condito illa auferri possit, sed loquitur absolutè & simpliciter de successione in mobilia nullâ intestatæ factâ mentione. Ergo sequitur quod non tantum intestatæ uxori sed etiam quâcunq; ratione testatæ maritus in mobilia succedat, & per consequens auferri non possint, quemadmodum eleganter loquitur *Wesemb. ad ff. qui test. fac. poss. n. 12. inf. It. Unde vir & Uxor. n. 2. in m.* Et, si exemplo res evinci possit, clarum & indubitatum nobis ostendit successio liberorum, quibus quod parentes usq; ad legitimam interveniente testamento hæreditatem auferre possint, ratio est, quia liberis tota hæreditas parentum non absolutè & simpliciter sed in casum non facti testamenti, *tot. tit. 7. d. Hæred. quæ ab intest. def.* legitima verò absolutè & simpliciter illis ipsis debetur. Verum de hisce satis, omnem siquidem dubitationem in Electoratu nostro removet *Const. 7. part. 3.* Ubi expressè ita disponitur: Sed opponis forsitan nobis textum *Const. Elect. 15. part. 2.* Ubi dicitur. Jedoch mögen die Ehefrauen/Witben und Jungfrauen/wo sie ihre mündige Jahre erreicht vor sich selbst von ihren Haab und Gütern beweglichen und unbe-

unbeweglichen außserhalb der Gerade wohl Testament
 machen. Ex quibus seqvi videtur, foeminam maritatum te-
 stari posse etiam invito marito de mobilibus, quod tamen si
 marito necessario deberentur mobilia fieri non possit. At,
 respondetur. Constitutio hac loquitur de potestate confi-
 ciendi testamentum absque curatore, quod indicant verba se-
 quentia. **Ob gleich dasselbige ohne Vormünder gesche-**
hen/ non verò de potestate testandi respectu mobilium absq;
 consensu mariti, utpote cujus consensus & autoritas hoc passu
 requiritur non quatenus tutor est sed quatenus maritus est &
 hæres mobiliaris, in cujus præjudicium absq; ejus consensu
 bona ista ultimâ voluntate alienari non possunt.

Thef. XI.

Ampliatur etiam hac assertio. 2. Quod maritus debita
 uxoris de bonis mobilibus non nisi in subsidium, non sufficien-
 tibus sc. immobilibus, solvere teneatur, non obstante *l. 15. §. 2.*
ff. d. re judic. cujus vigore à mobilibus initium faciendum.
 Subest enim alia ratio, quæ prohibet illud ex parte mariti, qui
 hæres saltim particularis est & certam partem, id est mobilia,
 hæreditatis prædefunctæ uxoris lucratur, & pro tali successore
 particulari etiam reputatur à *Dn. Carpzov. d. Oner. Vas. Feud.*
decad. 1. posit. 1. n. 30. 31. 32. Ubi dicit, quod eodem respectu,
 quo agnatus & cognata rerum expeditoriarum & utensilium,
 qui hæredes particulares sunt, maritus quoq; hæres mobilia-
 ris dicatur. Jam verò hæres particularis non tenetur ad ex-
 solutionem debitorum prædefuncti nisi in subsidium, si sc.
 hæreditas non sufficit. Exemplum est in gerada apud *Dn.*
Carpzov. ad Const. 14. part. 2. def. 66. ibi. **So werden der**
verstorbenen Frauen Schulden von dem Erbe / und da
solches zu dero sâmpflichen Befriedigung nicht zureichet /
also dem erst in subsidium auch von der Gerade billich be-
zahlet.



zahlet. Hancqve opinionem apprehendit *Hartm. Pistor.*
part. 1. quest. 31. n. 38. atq; post eum *Dn. Carpzov. ad Const. 25.*
part. 3. def. 17. Limitamus tamen rursus & restringimus illud
1. Nisi debita illa ratione mobilium contracta fuerint, rem
enim transire cum suo onere uti per se indubitatum ita ex na-
tura Heergevvetæ, Geradæ & Feudorum facile exemplificari
potest, quorum sc. nomine debita contracta successores in illa
solvere tenentur. Neq; 2. illud virorum beneficium eò usq;
extendere lubet, ut liberos etiam excludant à successione in
legitimam in casum sc. deficientium bonorum immobilium,
sed tenentur Patres legitimam de bonis mobilibus supplere.
Arg. Const. Elect. 12. part. 3. imputatione tamen prius si filia
adsunt geradæ in legitimam factâ, quod beneficium, licet alias
fratribus cum sororibus in hæreditate materna concurrenti-
bus competat, quia verò hoc loco Pater de mobilibus & ita de
suis legitimam implet, ideò utilitati ejus è diametro cedit si
quædam bona adfuerint quæ filiabus in legitimam imputan-
tur & consequenter illud implementum adjuvare solent. Ul-
timo tandem in hæc materia quærere placet. An bonis im-
mobilibus ad exsolutionem debitorum, quæ non respectu
mobilium vel geradæ ab uxore contracta fuerunt, deficienti-
bus maritus prius de mobilibus quàm cognata de utensilibus
solvere teneatur an verò vice versâ cognata prius, quàm ma-
ritus? Et hæremus certè. Utriqve enim pariter sunt privi-
legiati, utriq; sunt successores particulares & acquirunt por-
tionem statutariam *Dn. Carpzov. p. 3. Const. 25. def. 15. n. 9. 10.*
Unde si pro ingenii modulo res decidenda veniret diceremus
utrosq; maritum & cognatam simul, pro quantitate sc. cujusq;
portionis quam acceperunt, ad exsolutionem debitorum
propter paritatem jurium & privilegiorum obligari. Cui
nostro asserto etiam assentire videtur *Dn. Carpz. ad Const. El.*
14. part. 2. def. 65. n. 7. dicens, quod deficientibus bonis hære-
dita-

887

ditariis proxima cognata ad solutionem debitorum teneatur, jam verò portionem illam statutariam mobilium, quam maritus lucratur, minimè rerum hæreditariarum nomine venire idem dicit *part. 3. Const. 25. def. 15. n. 9. 10.* Ergo. Verum, quia in hisce terminis practica forsitan nobis obstabit observantia, acquiescimus hic & progredimur ad successiones parentum.

Thef. XII.

Notabile verò imprimis quoddam occurrit in successione Parentum, quando sc. ordine mortalitatis turbato *l. 15. ff. d. inoff. test.* ratio miserationis parentes ad bona liberorum admittit *l. scripto 7 in f. ff. si tab. test. null. ext.* Ibi enim sciendū, quod jure veteri per S^Ctum Tertull. mater per patrem à successione liberorum excludatur § 3. *J. d. S^Cto Tertull. l. si ve ingenua 2. § 15. 16 ff. eod.* Verum Imperator periculo puerperii, sæpeqve hoc casu matribus morte illatâ §. 4. *J. eod.* & ita æquitate magis *l. 2. C. d. jur. liber;* quam mulierum favore, ut ajunt nonnulli, commotus amputavit injuriam S^Cti Tertull. quæ contra matres defuncti vel defunctæ præteritis temporibus fiebat, & matrem ad successione liberorum cum Patre & fratre ex utroq; latere simul vocavit *Nov. 118. cap. 2.* In quâ quidem Nov. rursus singularis quidam favor erga viros sese obfert, dum frater ex utroq; latere vel cum patre vel cum matre vel cum utroq; simul solus in capita vel fratri vel sorori succedit, exclusis ab hæc successione sororibus licet ex utroqve latere defunctæ personæ conjunctæ fuerint *per d. Nov. 118. loc. cit.* Quæ omnia sic de jure Civili procedunt, jus Sax. si considerare volumus apprehendit illud hoc passu dispositionem juris veteris dum patrem in successione liberorum matri anteposit, in hoc verò differt, dum matrem absente patre rursus præfert fratribus & sororibus *Spec. Sax. lib. 1. art. 17. in pr.* quod tamen illud jus antiquum non fecit sed absente patre matri

G

præ-

26.



præsentibus fratribus vel tantum vel cum sororibus (sexui virili etiam hic nimis indulgens) virilem portionem ex successione in capita, præsentibus verò tantum sororibus semissem, & ita plus quàm si fratres vel soli vel unà cum sororibus adfuerint ex hæreditate destinavit *l. si quis. 7. in pr. C. ad Scutum Tertull.* Supra tamen posita dispositio juris Saxon. rursus correctæ est à D. Augusto, & voluntas Justiniani tanquàm æquior in eo retenta & apprehensa, dum vigore *Const. 17. part. 3.* mater æquâ parte cum patre liberis succedit, licet jus Sax. quoad exclusionem fratrum & sororum patri & matri competentem suum robur adhuc obtineat, nullibi enim correctum invenitur sed potius pronunciando quotidie sic observatur.

Thef. XIII.

Singularis etiam sese ostendit favor virorum cum foeminis in successione concurrentium. Primo quidem masculus cum foemina succedens nullâ ætatis ratione habitâ gaudet jure optionis in territoriis nostris per *Const. Elect. 15. part. 3.* Quod tamen jus optionis Germ. *Rühr-Recht* / cum absque omni dubio sit personale *Dn. Carpz. ad d. Const. def. 13. n. 2.* personam maris non egreditur neque ad hæredes ejus transmittitur, ita ut mortuo masculino liberi loco patris sui jure optionis gaudeant per *l. 68. ff. d. R. J. c. privilegium personale 7. X. d. R. J. in 6to.* Secundo, masculus cum foemina mari succedens succedit in res expeditorias exclusâ ab hisce foeminâ *Spec. Sax. lib. 1. art. 37.* Ein eiglich Mann von Ritters-Ort vererbet auch zwenyerley / das Erbe an dem nächsten ebenbürtigen Freund / wer der auch sey / und das Heergewette an dem nächsten Schwertmagen / qui textus, licet tantum de nobilibus loquatur, nihilominus tamen hodie in Saxonia ubique fere locorum etiam cives & rustici res expeditorias non sine magno quidem foeminarum præjudicio relinquere solent testante

stante *Dn. Carpz. part. 3. Const. 38. def. 23. in f.* Et licet dici possit foeminas hujus loco successionem in Geradam habere, non tamen negari potest dari etiam casum in quo viri peculiari favore æqvè ac foeminae in geradam succedunt *Spec. Sax. lib. 1. art. 5. Der Pfaff nimbt gleichen Theil mit der Schwester in der Mutter Gerade.* Respectu verò successionis in Heergevettam nullum talem existere casum in jure nostro, ubi sc. foemina simul cum mari in eam succedat, quis ambigit?

Thes. XIV.

Absolutâ successionum materiâ, quatenus sc. viri in illâ aliquâ juris prærogativâ gaudent pergimus etiam ad materiam usumfructuum. Lucrantur autem viri sæpissimè usumfructum exclusis foeminis, & hoc vel respectu liberorum sub patriâ potestate existentium, vel respectu uxorum. Usumfructum, quem Pater respectu liberorum acquirit, quod attinet sciendum, quod solus pater non verò mater, quæ liberos in potestate non habet, jure patriæ potestatis (non servitutis *per consequ. ex §. finitur 3. f. d. Usufr.*) lucretur usumfructum bonorum adventitiorum liberorum tam jure civili *per l. cum oportet. 6. C. d. bon. quæ lib. 1. 1. C. d. bon. matern.* quam Saxonico, quippe cujus dispositione speciali jus civile hoc passu nullibi correctum invenitur. Sed opponis forsitan textum juris Sax. qui à parte concedentium matri usumfructum talem de jure Saxon. allegari solet, in Lib. 1. art. 11. Ubi. *Hält ein Vater seine Kinder in Vormundschaft nach ihrer Mutter Tode/ wenn sie darnach von ihm scheiden/ er soll ihnen lassen und geben aller ihrer Mutter Gut/ ic. dasselbige soll auch das Weib denen Kindern thun ob ihr Vater stirbet.* Unde sequi videtur, quod, quia pater non tenetur restituere usumfructum & usuras, illud etiam, vi voculæ *dasselbige/ matri concessum sit, quemadmodum argumentatur Wesemb. ad ff. d. Tutel.*

Tutel. n. s. in m. & alii post eum. Verùm respondetur: Lo-
quitur textus tantùm de restitutione bonorum ipsorum ad-
ministratiõne vel tutelâ finitâ, non verò de retentione usuf-
fructus tam ex parte patris ipsius quàm matris, utpote cujus
ne verbulo quidem facta est mentio, decidendus igitur casus
tùm quoad patrem ipsum cum quoad matrem ex jure civili
veniet, & per consequens solus pater jure patriæ potestatis ac-
quiret usumfructum.

Thef. XV.

Ex quâ positione etiam sequitur 1. Quod pater etiam si
non administret bona liberorum in potestate existentium ni-
hilominus lucretur usumfructum, 2. Quod pater nihilomi-
nus bona liberorum etiam majorennium administret & per-
cipiat usumfructum donec emancipati vel quod hodie in usu
est à patre separati fuerint: Non enim administrat illa bona
& acquirit usumfructum jure tutelæ sed jure patriæ po-
testatis *l. 6. C. d. bon. quæ lib. junctâ l. 1. C. d. bon. matern.* 3. Quod
Pater, cujus etiam supra sect. 1. mentionem facere promisi-
mus, liberis emancipatis non teneatur rationem de usuris &
fructibus reddere *l. cum oportet 6. §. C. d. bon. quæ lib.* Versa-
tur enim optimo jure hoc passu in re propriâ cujus nulla ra-
tionum redditio esse potest. Mater verò omninò tenebitur
ad rationum redditionem, propter restitutionem sc. usuf-
fructus. Dicunt quidem nonnulli inter quos est *Zobel in Gl. lat.*
ad Spec. Sax. lib. 1. art. 23. lit. N. Berlich. part. 2. concl. 12. n. 11.
quod mater jure Sax. non teneatur ad rationum redditionem
de usufructu & allegant text. jam cit. ubi dicitur **Wo aber der
Vormund auch Erbe mit ist / so darffer niemand des Kin-
des Gut berechnen.** Verùm eleganter respondet *Dn. Carpz.*
d. jur. foem. decad. 2. posit. s. n. ii. textum hunc loqui de an-
nali rationum redditione, à quâ tutor subsequatâ forsitan mor-
te pupilli simul hæres existens immunis est. *d. art. 23.* non ve-
rò de

rò de finali rationum redditione, à quâ neq; tutor, licet hæres pupilli futurus esse possit, neqve mater eximitur. Sequitur etiam 4. Quod pater expensas necessarias ac utiles in ipsa bona liberorum non in usumfructum factas repetere possit. *per consequ. ex l. 3. §. 1. ff. d. imp. in rer. dot. fact.* Expensæ enim in usumfructum E.g. in culturam non propagationem vitium factæ, ut & stipendium, tributum &c. non injustè cum usufructu compensantur *d. l. 3. §. 1. l. 13. ff. eod.*

Thef. XVI.

Limitamus tamen & restringimus hancce nostram asser-tationem 1. Nisi iste ususfructus patri dispositione ejus à quo vel donatione vel testamento vel alio titulo lucrativo proficiuntur illa bona filiifam. ablati fuerit. *Nov. 117. cap. 1.* Nota tamen quod ista ablatio ipsi statim actui supervenire de-beat, priusquam sc. pater respectu ususfructus factâ donatione vel condito testamento jus quæsitum habeat. Hoc est, factâ donatione & perfectâ donator ex intervallo patri usufructum auferre non potest: Filius enim familias semel est factus rei donatæ dominus, & patri suo jus utendi fruendi eo ipso quæsitum *arg. l. 4. C. d. donat. quæ sub mod.* Sic etiam condito testamento testator parenti per schedulam quandam vel me-moriale usufructum ejus rei in quâ instituit filiifam. auferre non potest, nisi de novo aliud confecerit testamentum & ademerit in eo patri usufructum. Ex quò enim testamen-to alicui succedit filiifam. ex eo statim patri jus aliquod quæ-ritur, quod ipsi per supervenientem aliquem actum contra-rium auferri non potest. Limitatur 2. Nisi sc. filiifam. ma-jorennis renuente patre adierit hæreditatem vel acceptaverit donationem, quia eo casu nulla acquisitio neq; usufructus patri offertur, sed ipse filius sibi imputat si quid ex hoc conti-gerit *per text. expr. l. cum non solum 8. in pr. vers. sive è contra-*

G 3

rio

26.



rio C. d. bon. qvæ lib. juncto §. 1. l. cit. ubi Justinianus illud etiam ad filiumfam. minorem extendit.

Thef. XVII.

Considerato usufructu respectu liberorum venit etiam explicanda materia usufructus, quem habet maritus respectu uxoris. Jure quidem civili marito saltim respectu bonorum dotalium, cujus dominium utile non directum habet, usufructus quæritur *l. pro oneribus 20. C. d. jur. dot. l. dotisfructum 7. ff. eod.* interdicta ipsi rerum paraphernalium communiōne *l. hanc lege 8. C. d. pact. convent.* Verum jus Saxonicum vel potius inveterata & longa, ut ego puto, consuetudo magis favet hoc passu marito, ipsiq; usumfructum omnium bonorum tam paraphernalium quam dotalium per totum tempus conjugii attribuit. Et licet quidam ex *spec. Sax lib. 1 art. 31.* probare velint paraphernalium rerum usumfructum, cum ibi dicatur. *Conjuges possidere bona indivisa. Non tamen sequitur.* Ergo maritus lucrabitur usumfructum omnium uxoris bonorum, imò potius colligi posse videtur ex *dict. art.* usumfructum etiam tam rerum dotalium quam paraphernalium penes conjuges indivisum manere debere, dum universaliter ibi dicitur. **Mann und Weib haben nicht gezweneht Gut zu ihrem Leibe.** Quia verò longâ consuetudine sic introductum est frustraneum erit illi resistere, lubentes itaq; in maximum licet foeminarum odium maritis usumfructum omnium bonorum autoritate *Carpz. ad Const. 20. part. 3. def. 33. n. 5. 6. ejusdem d. jur. foem. decad. 1. posit. 3. n. 4. Rauchb. part. 1. quest. 2. n. 45.* & aliorum annexi largimur. In tantum quidem 1. Ut uxor post mortem mariti bona illata repetens illum usumfructum tempore matrimonii quæsitum non capiat, sed mariti hæredibus cedat, 2. ut maritus sive ejus hæredes expensas in bona uxoris factas repetere possint, non habitâ compensatione cum usufructu *arg. l. 3. §. 1. ff. d. impens. in res.*

res dot. fact. Dn. Carpz. ad Const. 31. part. 3. def. 9. Additā tamen limitatione, quā supra *thes. 15. in f.* usi sumus. 3. Ut, si forsitan uxor tempore matrimonii absq; consensu mariti debitum contrahat, maritus illud neq; de dote neq; de parapherno solvere teneatur, quippe qui 1. uti supra dictum lucratur usumfructum harum rerum per consequens igitur facto tertii, puta uxoris, ipsi auferri non poterit 2. Est textus in *spec. Sax.* perspicuus quod mulier absq; consensu mariti nihil alienare possit *Lib. 1. art. 45.* Ein Weib mag auch ohne ihres Mannes Urlaub ihr Gut nicht vergeben / noch ihr eigen verkäuffen / &c. Jam verò si concederemus maritum teneri de dote vel parapherno solvere debitum tempore matrimonii ab uxore contractum, facile concederemus uxorem ista bona absq; consensu mariti alienare posse, cum sub prætextu debiti illud semper fieri possit, cui nostræ opinioni etiam 3. assentit *Const. Elect. 15. part. 2.* cujus vigore nulla fœmina absq; autoritate curatoris vel mariti firmiter sese obligare potest. Et quæ sunt ejusmodi ampliaciones aliæ, quæ etiam latissimè tractari & extendi possint, à cuius tamen proposito in præsentiarum deterremur.

Thef. XVIII.

Profluit etiam ex matrimonio marito hæc utilitas, quod omnia bona quæ constante matrimonio acquiruntur ille lucretur, deducto argumento *ex l. quintus n. 51. ff. d. donat. int. vir. & uxor.* Cujus vigore etiam bona quæ ad uxorem perveniunt in dubio à marito profecta esse dicuntur, & per consequens ad illum pertinebunt, per rationem *cit. leg.* quæ est. Turpis quæstus gratiâ circa uxorem Quintum Mucium hoc probasse, quod etiam approbat *Coler. part. 1. decis. 61. n. 39.* Extendere quidem illud alii satagunt ad bona, quæ industriâ solius uxoris acquiruntur, quod sc. maritus illa etiam lucretur. Verùm legibus hocce minimè edocti affirmare dubitamus, nisi

nisi forsitan aliquis consuetudinem foemini quidem hoc passu minus favorabilem opponere velit, quo facto facile acquiescere possumus cum *Wesemb. ad ff. d. rit. nupt. n. 6. Dn. Carpz. d. jur. foem. dec. 1. posit. 3. n. 11.*

Thef. XIX.

Ultimo tandem sese illud quoque exerit quod maritus in concursu creditorum ex parte uxoris propria bona sua neque probare, neque ex rebus uxoreis petere, & per consequens creditoribus sese immiscere non teneatur, sed propria autoritate suum retinere possit probatione creditoribus uxoris respectu bonorum dotalium & paraphernalium, quae facti sunt, inuncta, quibus demum probatis, debita uxoris usque ad quantitatem istorum bonorum solvuntur, retento tamen, quem maritus ante exactionem debitorum percepit, usufructu, (omnium quidem bonorum moribus nostris, dotalium vero saltem jure civili *l. pro oneribus 20. C. d. jur. dot. junctâ l. 8. C. d. pact. convent.*) quia hoc casu ipsa perceptione maritus statim redditur dominus usufructus, qui ipsi jure sic disponente competit. Quia vero solutionis debitorum uxoreorum jam facta est mentio, quaeritur. An durante matrimonio an vero eo demum soluto debita ista de bonis uxoreis solvenda veniant? Et respondemus distinguendo inter debitum uxoris post initum & ante initum matrimonium contractum. Respectu debiti post initum matrimonium contracti dicimus quod maritus jure civili minimè ad exsolutionem ejus de bonis dotalibus durante matrimonio teneatur, quippe cui ipso jure horum usufructus competit, & per consequens facto uxoris ipsi auferri non potest, sed creditores uxoris de parapherno sive sufficiat sive non solutionem expectare debeant licet soluto tandem matrimonio illa etiam de dote solvenda veniant: Jure Saxonico quid obtineat videri potest *ibid. preced. 17. ampliat. 3.* ad quam brevitatis studio
nos

nos remittimus. Respectu verò debiti ante initum matrimonium contracti dicimus, quod tam durante quàm soluto matrimonio, tam jure Saxon. quàm Civili prius de paraphernalibus deinceps de dote solvenda veniant: Fœmina enim in præjudicium & fraudem creditorum magnam dotem, constituere nequit §. *Item si quis* *o. l. d. action.* Et hæc sunt jura & privilegia quæ marito competunt in concursu creditorum ex parte uxoris, tam respectu bonorum propriorum quàm uxoreorum, in consideratione sc. ad usumfructum. Videri etiam possit, si propositum permetteret, in casu parallelo quantis iisque, ut dicunt quidam, maximis in concursu creditorum ex parte mariti respectu dotalium & paraphernalium bonorum uxores privilegii gaudeant, & minima certè jurium paritas reperiri poterit: Uxor enim, si bona sua non extant, tam quoad dotalia quàm paraphernalia debitoribus sese immiscere, dotaliumq; nedum paraphernalium difficilem probationem suscipere tenetur *l. i. C. d. dot. caut.* quo demum facto omnibus creditoribus anteriorem hypothecam expressam habentibus ratione dotis *arg. l. assiduis 12. C. qui pot. in pign. hab. Dn. Richter d. jur. & privileg. Cred. cap. 3. sect. 1. n. 6. & seqq.* ratione parapherni pluribus aliis pro diversitate juris Civilis & Elect. Saxon. postponitur, imò vigore *Nov. Ord. Proc. Elect.* ne quidem tacitam anteriorem hypothecam habentibus præfertur *tit. 43. §. Wann sie aber.* De quibus omnibus prolixè videri potest *Const. Elect. 28. part. 1. & ad eam Dn. Carpz. Dn. Richter. d. jur. & priv. cred. loc. cit.* Quoniam autem supra mentio facta est probationis dotis, quæritur.

Thef. XX.

An ad hanc probandam sola mariti confessio sufficiat in concursu creditorum ex parte mariti? Resp. Affirmat quidem illud *Bacchovius ad Treutl. vol. 2. disp. 24. d. benef. cred. thes. 7. lit. C. Idem ad Wesemb. ff. d. priv. cred. m. 5. lit. d. dicens.* Quod, si
 H frau-

fraudis suspicio absit, sufficiat mariti confessio in præjudicium creditorum. Verùm hoc in casu aliquid humani passus est ingeniosus Bacchovius: Dicit enim, si fraudis suspicio absit. Quomodo quæso hoc loco fraudis suspicio abesse potest? Dum 1. Istâ confessione non sibi sed adversæ parti, puta creditoribus præjudicat. *arg. l. 3. in pr. ff. de test.* 2. Uxorem, cum quâ una caro est *c. debitum X. d. big.* & proinde maximus erga eam favor præsumitur, adjuvat. 3. Quod maximum est; Sibi ipsi conducibile est ut uxor magnâ dotis quantitate gaudeat, propter lucrum ususfructus, quod maritus in dotalibus habet *l. 20. C. d. jur. dot.* Quibus ab uxore non probatis creditores omnia bona occupabunt, uxor nihil habebit, & ita maritus, qui aliàs hoc casu ad incertam redactus est, omni carebit usufructu, quod tamen si confessio ejus admitteretur non fieret. Colligi itaq; facile potest, confessionem mariti propter suspicionem fraudis, quàm rationem ipse Bacchovius admittit, ad probandam dotem in concursu creditorum non sufficere, quoniam hanc negationem *ex l. assiduis 12. §. 1. in m. vers. Si tamen re ipsâ. C. qui pot. in pign.* deducere non audeamus: Quemadmodum enim non procedit mutuum sive commodatum probandum est, ergo non sufficet confessio debitoris seu commodatarii, ita etiam non sequitur ex hac lege dotis numeratio probanda est, ergo non sufficet confessio mariti. Aliam propterea præsupponimus rationem quæ probationem dotis respectu creditorum etiam chirographariorum saltem, propter paritatem rationis, exquisitiorem quàm nudam mariti confessionem desiderat, licet in respectu ad chirographarios practicæ observantiæ robor suum denegare non possimus. *vid. Dn. Carpz. ad Const. 28. part. 1. def. 76.*

Epilo-

892

Epilogus.

ET hæc sunt quæ pro ratione instituti de virorum privile-
giis differere animus fuit. Non equidem diffitemur, L. B.
si paululum exspatiari liceret, totus ejusmodi jurium sese ape-
riret campus: E.g. Filios familias quondam præteriri non po-
tuisse quemadmodum filiarum. *pr. J. d. Exhered. lib.* It. Con-
sensum Patris anteponi consensui matris in nuptiis liberorum
l. 2. ff. d. rit. nupt. junctâ l. 1. C. d. nupt. adhuc in patria potesta-
te existentium. *l. 25. ff. d. rit. nupt.* It. Occiso masculo totum,
fœminâ verò occisâ dimidiam saltim Wergeldi partem de ju-
re Saxon. solvendam esse *spec. Sax. Lib. 3. art. 45.* Jegliches
Weib hat ihres Mannes halbe Busse/ eine iegliche Magd
und unbemanntes Weib hat halbe Busse nach dem als sie
geboren. It. Masculum jure *Const. Carol. 150. 162.* propter fur-
tum laqueo, fœminam verò propter idem delictum aquis suf-
focari debere. It. Filiis sumptus studiorum à Patre præstitos
regulariter non imputari in portionem *l. 50. ff. fam. hercisc.*
Falias verò quicquid dotis nomine acceperunt conferre debe-
re, si pater absq; speciali de hoc dispositione utroq; casu mo-
ritur *l. 2. 5. C. d. Collat.* Verùm enimvero ne, in fœcundissi-
mâ licet materiâ occupati, ingrâtâ prolixitate laborare videa-
mur, telum abripimus, atq; omiffa & errata candori tuo sup-
plenda, corrigenda, Deoqve Virorum ac Dominorum
maximo studia nostra dirigenda relin-
quimus.

F I N I S.

DUm scanditur Tibi cathedra, Gasteli,
Musarum Ocelle, fulgurantis Astræ
novum Jubar, virili ut asseras ausu,
quæ *jura* credidit *viris* parens alma
Natura, quæq; cura Purpuratorum
Impertiit quondam Patrum, viro dignam
rem magno agis. Viri hinc Te vindicem Juris
sui osculantur. Ipse gratulabundus
assurgo tantis ausibus lubens. Fama
omnem per orbem, vel tacente me, laudat
facinus tuum, nomenq; nunciat pernix
dignum Polo. Summi at Tonantis Assatrix
Astræa spondet certa præmia atq; offert
meritam coronam brachio obsecundante.
Tu victor insta, ac lætus arripe oblatam!

Ita gratulabatur Clarissimo
Dno Respondenti

Præses.

Quæ sint *jura Viri* doctè proponis, Amice,
Publicitùs doctis discutienda viris.
Gratulor hinc, cœli Numen Tua cœpta secundet!
Atq; Tibi veniant præmia digna precor.

Exigua hæc,
non tam moris quàm honoris ergò,
Per-Eximio eruditæ Disputationis Auctori,
Convictori suo suavissimo,
deproperans adpon.

ANDREAS BRUMMER,
Philosoph. & U. J. D.

Leipzig, Diss., 1660/61

ULB Halle

3

005 021 650



SB

VD 77





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Nebo, 5 / 863 257

...O JURIDICA
...E
S VIRO.
...GULARIBUS,

vam
iente
E O,
ntiente
Almâ Lipsiensi

n Ordine,
Et
dente,
RO
Nobilissimo, Amplissimo
sultissimo

CO ROMANO,
rtisb. supremæ Curiā Provin-
Affessore, Academiāq; hujus
gravissimo,
ceptore suo colendo
tando defendet
ll Franckenbergâ Misn.
itor.
ob. H. Lq. Consv.

SIÆ,
ERICI HAHNII,
o lbc LX.

7 1/2

26.

